7023. V. 84.

7023.

DISSERTATIONES DOGMATICÆ

DE

PARADISO TERRESTRI

ET IMMORTALITATE HOMINIS INNOCENTIS.

DE

STATU ANIMÆ POST HANC VI-TAM, ET JUDICIO PARTICULARI.

DE

RESURRECTIONE MORTUORUM,

ET JUDICIO UNIVERSALI.

DE

SUPERNATURALI HOMINIS BEATITUDINE, INFERNO, PURGATORIO, ET INDULGENTIIS.

COMPENDIOSA METHODO DIGESTÆ

A

P. F. OTHONE SPRUG

ORD. MIN. STRICT. OBSERV. PROVINIÆ S. CRUCIS CROATIÆ, CARNIOLIÆ ALUMNO.

K. K. LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

LABACI,

TYPIS JOANN. FRIDERICI EGER, INCL. PROV. CARNIOLIÆ TYPOGRAPHI.

M. DCC. LXIX.

0300 35849

EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

FRANCISCO SERAPHICO

LIBERO BARONI

DE

PREISS

THERESIANI ORDINIS

EQUITI,

GENERALI CAMPI

VICE - MARESCHALLO,

SUPREMO CARLOSTADIENSIS GENERALATUS

GUBERNATORI,

PATRONO GRATIOSISSIMO.

EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

FRANCISCO SERAPHICO

LIBERO BARONI

DE

PREISS

TIMBERSIANI ORDINIS

EQUITI,

GENERALI CAMPI

VICE - MARESCHALLO,

SUPREMO CAMPESTRIS CIVITATIS

GUBERNATORI,

PATRONO GRATISSIMO

EXCELLENTISSIME

DOMINE

HEROS!



DUo sunt potissimùm, quæ militem commendant, ejusque nomen immortalitatis annalibus inserunt, heroa scilicet facinora, & præclara virtutum merita: per illa Principi, per hæc Deo militat. Utraque in Te, Excellentissime Heros! ad admirationem potiùs, quàm

imitationem refulgent. Ubicunque pugnâsti, nunquam intermoritura bellicæ magnanimitatis Tuæ monumenta reliquisti. Ad Loboschütium pugnâsti, ubi A. C. 1756. cum uno pedestri agmine Regiminis Brounniani validissimum hostis impetum ea animi fortitudine, & constantia sustinuisti, ut stricto acinace, irruentem hostilem equitatum ferro, & oppositis pugionibus generosè repuleris.

Ad Pragam Pro-Tribunus pugnâsti, ubi A. C. 1757. à Cæsareo exercitu tunc recedente separatus, & confertis hostium cuneis circumseptus formato agmine quadrato inter continuos hostium conflictus providè recedendo Brounnianum Regimen feliciter Pragam reduxisti, ubi durante obsidione in frequenti eruptione lauros geminabas, quæ Tibi in gravioribus belli negotiis immortalem plurium victoriarum plecterent coronam. Ad Wratislaviam eodem anno pugnâsti, ubi in victorioso certamine læsus, & mense Decembri in alia pugna ad Leüthan captus, sed singulari consilio post bimestre

libe-

liberatus, Tribuni militum honore es insignitus. Ad Dresdam pugnâsti, ubi A. C. 1760. occasione universalis eruptionis Cornu unum dirigendo ad obsidionis solutionem plurimum contulisti: dein in itinere cum Igniariis, & Catapultariis Equitibus in bina hostium offendens agmina, iis generosè prostratis, duobusque bellicis tormentis in prædam acceptis, Generalis dignitatem emeruisti. Neque hìc fortunæ Tuæ stetère progressus, altiùs ascendisti, dum Supremo Castrorum Metatori L. B. de Siskovics adjunctus ob plura præclarè, sapienterque gesta Augusta Te sublimante A. C. 1761. Theresiani Ordinis Eques, A. C. 1764. Generalis Campi Vice-Mareschallus, tandem A. C. 1768. ut confiniario dominareris militi, & Urbi Carolinæ imperares, Supremus Carlostadiensis Generalatûs Gubernator gloriosè es renunciatus.

Hæc sunt dignitatum Tuarum decora, quibus nunc pro meritorum Tuorum plenitudine inclarescis, si vero secretiora Dei arcana mihi inspicere liceret, non

vanus vates majora in proximo præsagirem. Viam ad hæc Tibi vel insçius, vel invitus quotidie adornas, dum bellicæ rei peritia, morum gravitate, prudentia, juris, & æquitatis observantia, sacrorum cultu cunctis præfulges. Fateor, dum quatuor abhinc annis amœna Tua conversatione perfruendi gratiam sum nactus, sæpe tacitus admirabar insignia virtutum Tuarum ornamenta, quibus supra cæteros longius eminebas. Ferventissimum religionis Zelum hodiedum testatur Carlostadiense Parochiale Fratrum Minorum Templum Sanctissimæ Trinitati dicatum sui splendorem, & restaurationem magna ex parte Tibi confitens vectigalem, in quo sæpissime, si non quotidie, antequam ad Commissionem consideas, militaria, & politica tractes, Sacerdotibus ad aras sacras litantibus mira devotione, & exemplari pietate assistis, ut ita primùm, quæ Dei sunt, Deo des, & dein, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.

Ardentiſſimum in JEſum Crucifixum amorem loquuntur parietes etiam ſilentio ſuo vocales Capellæ S. Crucis ære Tuo extra Præſidii Carloſtadienſis portam A. C. 1767. à fundamentis in perpetuum devotionis anathema exſtructæ, cui eodem anno ipſa anniverſaria feſtivitate (qua debellato per Conſtantinum Maxentio, Helena dejecto Veneris fano, & ſtatua, ſalutiferam Chriſti Crucem cum geminis aliis erutam invenit) imaginem Crucifixi antiquitate celebrem, gratiis celebriorem ſolemni pompa, & gravibus cæremoniis inter tubarum clangores, & tympanorum ſonitus, coram immenſa populi multitudine illatam publicæ propoſuiſti adorationi, ut contra Chriſtiani nominis hoſtes firmiſſimum eſſet propugnaculum. Joannem forte Capiſtranum tum cogitâſti, qui cum milite cruce ſignato, erecto Crucis vexillo inſignem aliquando Taurunenſem retulit victoriam centum, ac viginti Turcarum millibus partim cæſis, partim fugatis.

Ut vero æviterna eximiæ Tuæ in Crucifixum pietatis exſtaret memoria, fornici præmemoratæ Capellæ ſequens conſignata eſt inſcriptio:

Sub terra dudum latuiſti Chriſte ſepultus,
Proh dolor! ah quærens Helena nulla fuit.
Promptus ad orandum, populo, qui ſuſcitat Heros,
Cultu devoto, PREISS Generalis adeſt.
Golgota prima ſalus toti celeberrima mundo,
Altera Crux iſta eſt, Urbs Carolina tibi.

Magna hæc ſunt, majora, quæ neſcio, maxima, quæ egiſti. Ut vero modeſtiæ Tuæ, qua nihil adeo, quam laudes odiſti, tribuam quidquam, non prædico virtutem humilitatis, qua magna operans ea es affabilitate, comitate, ac animi demiſſione, ut Te magnum eſſe, quaſi ignorans, diſſimules, probè gnarus, quod animi demiſſio ſummas dignitates non obumbret, ſed illuſtret. Non commemoro liberalitatem, quâ frequentiſſimis hoſpitibus, & advenis benigniſ-

ſima

ſima munificentia menſam præbes, cujus tot ſunt teſtes, quot quotidie commenſales. Non extollo Tuam erga miſeros charitatem, ad quorum ſublevandam inopiam munificentiſſimas manus extendere conſueviſti. Ediſſere quisquis es pauper, & egenus, cui ægre alibi ſubſidii ſpes affulſit, an non Excellentiſſimus Dominus Generalis Campi Vice-Mareſchallus L. B. DE PREISS *burſulam aperuerit ſuam, ſicque chriſtiana pietate miſeriis tuis obviam factus ſufficienti ſubſidio tibi doloris abſterſerit lacrymas? luculentum teſtimonium perhibetis orphani, & pupilli, qui genitorum veſtrorum mediis deſtituti, altefati Benefactoris veſtri ſumptibus cùm liberalibus diſciplinis, tùm mœchanicis artibus imbuimini. Sed quid? munificus, & ad recompenſandum pronus eſt Deus, obſequia gratis hic, & ibi ubertim compenſat. Non ergo deerit immortale tantis laboribus, & tam largæ munificentiæ in die retributionis æternæ præmium, & Corona, quando (ſpe quidem mea) fidenter cum gentium Apoſtolo gloriari*

pot-

poteris: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam mihi reddet justus Judex. *2. ad Timoth. C. 4. v. 7.*

Cum verò effusam, qua pusillum Patriarchæ S. P. N. Francisci gregrem hactenus beâsti, ac etiamnum beas, benevolentiam, tacito mecum animo perpendo, versa in fiduciam audacia, Tibi tenue hocce opusculum Magnitudini Tuæ longè impar submississima revcrentia in debitæ gratitudinis tesseram nuncupo, temeritatis meæ moderamen esse ratus, quod etiam vastus oceanus parvos rivulos in sinum suum recipere, & sol tenuia gramina inaurare non dedignetur.

EXCELLENTIÆ SUÆ

Devotissimus Servus

P. OTHO SPRUG,

Franciscan.

APPROBATIO

THEOLOGORUM ORDINIS

Ad mandatum A. R. P. Miniſtri Provincialis revidi opuſculum, cui titulus: *Diſſertationes Dogmaticæ de Paradiſo terreſtri &c.* neque in eo aliquid fidei, bonisque moribus adverſum reperi, quod obſtaret, ne typis mandari poſſit. Dabam in Conventu noſtro Labacenſi ad D. V. in Cœlos aſſumptam die 3. Aprilis, 1769.

Fr. Hugo Vodnikh Lector
emeritus.

Ex commiſſione A. R. P. Miniſtri Provincialis opuſculum, cui titulus: *Diſſertationes Dogmaticæ de Paradiſo terreſtri &c.* compendium plurium dogmaticarum quæſtionum diligenter, & attente relegi, doctrinam in eo contentam bonis moribus conſonam, catholicæ fidei conformem, & utilem reperi: atque adeo, ſi Superioribus placuerit, publica luce dignum cenſeo. Labaci 28. Januarii 1769.

Fr. Vincentius Mariaſchitz
Provinciæ Pater, & Lector
Generalis Ord. Min. Reform.
S. Franciſci.

LI-

LICENTIA

A. R. P. MINISTRI PROVINCIALIS.

Cum opusculum intitulatum: *Dissertationes Dogmaticæ* a M. V. P. Othone Sprug Lectore Generali, & actuali Conventus Labacensis Guardiano compositum, & a duobus Theologis revisum, nil contra fidem, bonos mores, ac sanam doctrinam continere compertum sit, ut typis committi possit, hisce facultatem concedo. Datum in Conventu Labacensi die 3. Aprilis anno 1769.

Fr. Godefridus Pfeiffer.
Provinciæ Croatiæ, Carnioliæ
Minister Provincialis.

FACULTAS

Reverendissimi P. Ministri Generalis.

Fr. Paschalis à Varisio

Lector Emeritus, Catholicæ Majestatis in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, & humilis in Domino servus.

Cum juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones, idonei Censores opus quoddam ab Adm. Ven. Patre Othone Sprug, nostræ Reformatæ Provinciæ Carnioliæ Concionatore, ac Lectore Generali compositum, cui titulus est: *Dissertationes Dogmatica de Paradiso terrestri &c.*

re-

recognoverint, illudque ab ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos præsentium tenore ad salutaris obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus servatis aliàs servandis idipsum typis mandari possit, & valeat.

Dat. Romæ ex Aracœlitano nostro Cœnobio 14. Aprilis 1769.

Fr. Paschalis à Varisio
Minister Generalis.

De Mandato Rmi in Christo Patris
Fr. Nicolaus Maria à Lugano Secretarius Generalis Ordinis.

IMPRIMATUR

Ex Officio Episcopali Labaci die 24. Mensis Aprilis 1769.

CAROLUS PEER
Canonicus, & Vicarius Generalis.

PRO-

PROTESTATIO
AUTHORIS.

Ut obſequentem me in omnibus S. Romanæ Eccleſiæ filium teſter, ea, qua par eſt, obſervantia, & profundiſſima veneratione Urbani VIII. Pontificis Maximi Decretis me ſubmitto; profiteorque me, omnia, quæ hoc opuſculo continentur, haud alio ſenſu accipere, & intelligere, quàm eo, quo à ſancta Matre Eccleſia & accipiuntur, & intelliguntur, & ſic accepta, atque intellecta ab eadem approbantur.

DIS-

Dissertatio I.

DE

PARADISO.

DOlor quidem vetat meminisse beati illius innocentiæ, ac justitiæ status, in quo Deus fecit hominem rectum terrestris Paradisi deliciis circumfusum, tranquilla intus, & foris pace perfruentem, unde peccando infelix exciderat; quia tamen mens humana jucunda sæpe memoria suam irreparabili etiam casu amissam recolere felicitatem consuevit, ut mentali saltem suscitata præsentia delectari de eo possit, cujus jam possessione frui misera prohibetur, loquar hìc de Paradiso terrestri amœnissimo primi hominis incolatu, prius tamen exponam imaginem hominis

innocentis quoad suas perfectiones, quibus fuerat exornatus, antequam per peccatum de loco primævæ beatitudinis ad colendam sylvescentis terræ glebam Summi Regis edicto fuisset condemnatus.

IMAGO.

Hominis innocentis per dotes sibi à primordio suæ Creationis concessas depicta.

I. *Dos justitiæ originalis.* Adam, quamdiu peccati expers innocentiam suam conservabat, pluribûs â Deo donîs fuit decoratus, inter quæ principem locum sibi vendicabat donum justitiæ originalis, quæ includebat pactum illud Dei cum Adamo initum, vi cujus, si iste in sua innocentia stetisset, justitia originalis suos in posteros transfusa fuisset, sicut modò transfusum est peccatum originale. Porrò per justitiam originalem Theologi intelligunt donum illud, quô totus homo ita ordinatè per omnia fuit compositus, ut omnes ejus potentiæ in optima fuerint harmonia, & inferiores sine resistentia obedirent, superiores sine ambitione dominarentur cum perfecta ad Deum subjectione; nam sensitiva pars spiritui perfectè subjiciebatur, sicut & spiritus Deo. Quare nullæ tunc in homi

homine fuerunt intus pugnæ, nec foris timores, quibus in moderno ſtatu agitamur, in quo militia eſt vita hominis ſuper terram: cum enim nunc per peccatum contra Deum rebellaverit ſpiritus hominis, illico corpus, ſeu portio ſenſitiva obedientiam erga ſpiritum excuſſit, eíque civile, ac inteſtinum bellum indixit, per concupiſcentiam, & peccati fomitem impugnare cœpit, dum originalem juſtitiam, quæ prius eum in rectitudine detinebat, amiſit.

II. *Dos gratiæ ſanctificantis, & Virtutum Theologicarum fidei, ſpei, & charitatis.* Præter ſpeciale creationis beneficium accepit Adam gratiam ſanctificantem cum copioſis ſupernaturalibus auxiliis ad agendum bonum, & vincendam tentationem: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conditus fuerat, amiſiſſe . . . . anathema ſit.* Concil. Trid. ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali Can. 1. Dein dati ſunt Adamo habitus infuſi fidei, ſpei, & charitatis, nec enim gratia ſine his infunditur viatori, & viator *juſtus ex fide vivit:* ad Rom. c. 1. ℣. 17. & *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* ad Heb. C. 11. ℣. 6. Sine ſpe Theologica non rectè tenditur ad finem ultimum, ad quem tantò conſtantiùs homo innocens properâſſet: & hæc utraque vir-

tus mortua est, si non sit in consortio charitatis. Deinde *fide, spe, & charitate colendus est Deus*, ùt ait D. Aug. c. 3. Enchirid. Adam autem etiam in statu innocentiæ ad colendum Deum fuerat obligatus. Præterea censent aliqui Adamum habuisse ideam impressam divinæ essentiæ, qualem etiam Angeli habuerunt.

III. *Dos perfectionum intellectûs.* Adam habuit *1mó* notitiam Dei Unius, & Trini, hoc enim asserit S. Epiphanius in præfatione ad opus scriptum contra octoginta hæreses, ubi sic habet: *Adam protoplastus formatus est, non circumcisus, sed carne præputium habens, non autem erat idololatra, & novit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum Sanctum, Propheta enim erat . . . quia quod Pater dixit Filio, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ipse nobis manifestavit.* Quod autem apud posterioras Hebræos in oblivionem devenerit mysterium Trinitatis, ideo forsan factum est, quia eis non fuit ita explicitè propositum tamquam credendum de necessitate salutis, sicut fuerat propositum â Christo in lege gratiæ. *2dò:* Habuit fidem Incarnationis, quod inde deducunt Theologi, quia Gen. c. 2. dixit Adam, cùm fœmina ex ipso producta esset: *Hoc nunc os ex ossibus meis . . . quamobrem relinquet homo patrem,*

trem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Circa hoc autem ait Apoſtolus dicta verba expendens ad Epheſ. c. 5. ℣. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Adeoque ſupponendum eſt, quod Adam tanquam Propheta (qualem aſſerit S. Epiphanius loc. cit. & D. Auguſtinus lib. de Gen. ad lit. c. 19.) ſciverit myſterium verborum à ſe tunc prolatorum, & ita non ignoraverit Chriſtum venturum, cujus myſterium verba illa figurabant. Neque conveniens erat, ut Adamo ignotus eſſet ille, ex cujus prævisis meritis tot inſignia dona acceperat, & beatitudinem ipſam accepturum ſe ſperabat. *3tiò.* Habuit fidem Dei Remuneratoris, & Vindicis, ùt patet ex præcepto de non guſtando fructu ligni ſcientiæ, cui annexa erat comminatio pœnæ mortis transgreſſori: in quo mors tam corporis, quàm animæ intelligebatur. Conveniens certè erat, ut homo tam perfectus noſſet finem ſuum ultimum, quem ſupernaturaliter erat in beatitudine conſecuturus, ſi juxta legem Dei viveret; adeoque notum ei erat Deum eſſe Remuneratorem bonorum, & in ejus beata viſione, & fruitione ultimam perfectam ſupernaturalem hominis felicitatem eſſe expectandam æternum duraturam. Ex quo conſequitur ipſum

etiam per fidem noviſſe myſteria divinæ gratiæ, tanquam media ad illum finem conſequendum neceſſaria. *4tò.* Habuit rerum naturalium notitiam per accidens infuſam, qua plerasque res naturales, quarum notitia ipſi neceſſaria, aut utilis eſſe poterat, ſaltem quoad genera, & ſpecies poterat perfectè cognoſcere. Hoc inde patet; quia animalia ad ipſum adducta ſtatim propriis nominibus ipſorum naturæ proportionatis compellavit. Præterea ſi ille ſtatim à principio hanc rerum notitiam à Deo immediatè non obtinuiſſet, tunc totum genus humanum nimis diu, & fortè ſemper in maxima, & valde nociva ignorantia vixiſſet inſtar Indorum occidentalium, & fortè deterius, ac pleræque res nunquam ad eum uſum homini deveniſſent ex defectu notitiæ eorum, ad quæ à Deo conditæ fuerant: unde maxima fuiſſet confuſio, & ruditas in humano genere; imo vix unquam ſcientiæ ad modernam perfectionem devenire potuiſſent, niſi infuſa Adami doctrina ſaltem per partes fuiſſet in poſteros propagata. Dixi: *plerasque res naturales*, non enim habuit Adam notitiam omnium individuorum, & fors etiam non omnium ſpecierum creatarum, minus autem purè poſſibilium, cum nec in Angelis tam ampla ſcientia à principio infuſa admittatur,

unde

unde non cognovit Adam omnia futura contingentia, nisi ea, quæ ob specialem rationem ipsi à Deo sunt revelata, nec cognovit secreta cordium, quæ nec Angeli scrutantur.

IV. *Dos perfectionum voluntatis.* Præter spem, & charitatem cum gratia sanctificante possidebat Adam virtutes morales per accidens infusas: hoc communiter tenent Theologi, quod deducunt ex illo Eccles. c. 7. v. 30. *Deus fecit hominem rectum.* Item ex illo Eccles. c. 17. v. 2. *Et secundùm se vestivit illum virtute.* Ratio quoque pro hoc fortiter urget; nam Deus produxit hominem quoad corpus in statu tam perfecto, ad quem juxta perfectum naturæ cursum unquam pervenire potuisset: ergo etiam decuit, ut eum quoad animam in ea perfectione conderet, ad quam per diuturnum studium, & virtutis exercitium devenire potuisset; consequenter eidem quoad intellectum scientias congruas, & quoad voluntatem habitus convenientes ab initio contulit. Tum quia ipsas etiam arbores Deus produxit unà cum fructibus, quos producere cum tempore potuissent, ut opus Dei perfectum in iis ostenderetur: ergo multò magis decuit hominem ad Dei servitium conditum iis ornamentis statim ab initio decorari, quæ ad colendum Deum

essent opportuna, imo, & iis, quæ sibi homo tractu temporis absolute potuisset comparare, utì sunt habitus scientiarum, & virtutum.

V. *Dos bonorum corporis intrinsecorum.* Accepit Adam 1*mo.* corpus secundùm magnitudinem, pulchritudinem, ætatem, temperamentum, indolem omnino perfectum, quale unquam esse decuit corpus humanum. Fuit etiam homo primus, opus solius Dei, *Dei autem perfecta sunt opera;* Deut. c. 32. ℣. 4. adeoque corpus primi hominis per omnia perfectum fuit. Quare statura Adæ satis procera fuit, proportionata tamen, & moderata, neque ad gigantæam vergens extensionem, neque ad pigmæam declinans parvitatem, hæc enim deficientis naturæ indicium est, illa excessus naturæ exorbitantis, atque adeo utraque officit perfectioni. 2*dò.* Corpus ejus fuit conditum in eo statu, in quo tunc esse solet, dum perfectam attingit ætatem, quæ habetur in 30. vel 33. vitæ anno, quem etiam Salvator attingere voluit. Deinde Adam cum Eva accepit statim & mandatum, & benedictionem de generanda prole Gen. c. 1. ℣. 28. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram;* adeoque in ea jam tunc erant ætate, in qua erant ad hoc munus sine imperfectione obeundum capaces, ac in perfecta

fecta corporis firmitate conſtituti. *3tiò* accepit in corporeis potentiis habituum capacibus illos habitus, quos homo ex omni parte perfectus habere deberet, qui etiam conjungi debebant cum juſtitia originali, ut caro ſine reſiſtentia cum ſumma tranquillitate ſpiritui ſubjiceretur. *4tò.* Eſt communis perſuaſio Adamum fuiſſe quoad capillos, & barbam coloris ruſſi, ſeu potius aurei; quia ex limo, ſeu terra rubra Damaſceni campi quoad corpus fuerat formatus.

VI. *Dos bonorum corporis extrinſecorum.* Ea fuerunt hæc bona, quæ ſecumferebat felix illa, & ſaluberrima regio, quam incolebat, & incoluiſſent homines, ſi in innocentia perſeveraſſent, nempe Paradiſus: in eo enim nihil defuit, quod ad neceſſitatem, utilitatem, & oblectamentum corporis potuiſſet deſiderari: & inter reliqua ibi reperta præeminebat lignum, ſeu arbor vitæ, quæ cum ligno ſcientiæ ſituata erat in medio Paradiſi, ut patet ex Gen. c. 2. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formaverat, produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave: Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali.* Hic ergo omni deſiderabi-

li felicitate, qua abundabat Paradisi locus, frui homo sine ulla perturbatione potuisset, atque insuper tunc homini accessisset sors feliciſſima, quod ipse cum Angelis probabiliter, & cum hominibus non nisi innocentibus in mutua perfecta charitate se invicem diligentibus, non minùs de aliena, quàm propria prosperitate gaudentibus, omnis doli, & fallaciæ ignaris, nullam invicem molestiam inferentibus, semper jucundis, & in Deo lætantibus sine peccati periculo conversatus fuisset. Felicitatem illam hominis ita describit D. Bernardus serm. 35. in Cantica: *Habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus. Nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat, & odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria, & honore coronatus, & constitutus super opera manuum Plasmatoris, magis autem ob insigne divinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors, & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cœlestis exercitus.*

QUÆSTIO I.

Quid sit Paradisus?

§. PAradisum esse vocem ex hebræo *Pardes* deductam: *Pardes* enim hebraicè significat pomarium, aut viridarium, juxta

juxta illud Cantic. c. 4. ℣. 13. *Emiſſiones tuæ Paradiſus* (hebraice *Pardes*) *malorum punicorum*, ex quo vocabulo Græci *Paradeiſos*, & Latini *Paradiſus* effecerunt: & Græci hanc vocem *Paradiſus* ab Orientalibus, & Perſis ſua pomaria, & viridaria, ſeu hortos, *Paradiſos* nuncupantibus, derivatam volunt; ac Septuaginta Interpretes etiam hoc vocabulo *Paradeiſos* Gen. c. 2. ℣. 8. uſi ſunt ad viridarium *Eden*, id eſt, hortum deliciarum ſignificandum, ut notat Calmet in *Dictionario verb. Paradiſus.* Unde in Hebræo *Paradiſus* non vocatur hortus abſolute, & ſimpliciter, ſed hortus deliciarum, ſcilicet *Ganeden*, quia *Gan* ſignificat hortum, & *Eden* ſignificat delicias, ut obſervat Teſtatus in cap. 13. Gen. q. 8. Hinc ſubſequitur *ibidem*; quia locus ille, quem Scriptura Gen. 2. vocat *Paradiſum*, erat locus deliciarum, plusquam eſſet alius in tota terra, tractum eſt, ut vitam beatam in Cœlo, in quo ſunt maximæ deliciæ, & omne bonum, vocemus *Paradiſum.*

QUÆSTIO II.

In qua parte mundi fuerit ſitus Paradiſus?

℣. ID non ſatis conſtare, cum variæ fuerint, & ſint circa hoc Scriptorum opi-

opiniones, quibus brevitatis gratia relictis, dico, quod probabilius Paradisus terrestris fuerit in Confinibus Mesopotamiæ, & Arabiæ Orientalis situs, non multùm â Chaldæa, & Syria Damascena. Ita sentit P. Fraſſen Tom. 2. Theolog. tract. 3. disp. 2. art. 1. q. 2. idque pluribus probant Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ annotation. 34. Cornelius â Lapide in cap. 2. Gen. Maldonatus in c. 27. Matth. ỽ. 44. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ. Pererius lib. 3. in Gen. n. 122. & plures alii. Hoc item colligitur ex sacra Scriptura; Gen. enim c. 2. v. 8. ubi vulgata nostra habet: *Plantaverat autem Deus Paradisum voluptatis*, hebraica dicit: *Plantaverat Deus Paradisum in Eden*: Eden autem fuisse in finibus Mesopotamiæ, vel Syriæ, deducitur ex eadem sacra Scriptura 4. Reg. c. 19. v. 12. ubi habetur, quod Eden Regio jungatur cum *Gosana*, & *Aram*, & *Resph*, quæ sunt in finibus Mesopotamiæ, vel Syriæ, ut tradunt ferè cuncti scriptores, adeoque cum Moyses asserat, Paradisum fuisse plantatum in Eden, stat clarum, quod in confinibus Mesopotamiæ, vel Syriæ, ubi est Eden, situs fuerit Paradisus terrestris. Consentiunt Eusebius, & S. Hieronymus in descriptione hebraicarum Urbium, & Regionum sic aperte, & clare concludentes:

Eden

Eden ſacer Paradiſi locus ad Orientem, quod in voluptatem, deliciasque transfertur.

Petes. Quanta fuerit latitudo, & longitudo Paradiſi terreſtris?

R. P. Fraſſen exiſtimare amplitudinem Paradiſi quindecim, aut viginti leucarum ſpatio contineri, qui tamen pro menſura determinata nullum profert argumentum. S. Auguſtinus autem, quem pro ſe citat, nullam determinatam menſuram aſſignat, ſed eam incertam prorſus relinquit, & ſolum amplum locum illum affirmat. Id ergo ſolum hac in re certum eſt, Paradiſum non fuiſſe nimis parvum, cùm ſat magnæ hominum multitudini fuerit in habitationem præparatus: nec etiam nimis magnus reſpectu totius terraquei Orbis eſſe debuit; alias ſitus ejuſdem notior, quàm ſit, eſſet Geographis. Deinde cum Paradiſus lingua Perſica *hortum*, & Hebræa *pomarium*, ſive *viridarium* ſignificet, ex vi derivationis nominis nimis, & exceſſive magnus eſſe non debuit.

QUÆSTIO III.

Utrum Paradisus terrestris hodiedum existat?

§. PRæsentem necdum inter Theologos terminatam, & vix aliquando terminandam quæstionem. Propendeo tamen in affirmativam resolutionem, quæ conformis est S. Irenæo Apostolorum temporibus propinquo, qui lib. 5. adversus hæreses c. 5. hæc instar traditionis adducit: *Quapropter dicunt Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos, qui translati sunt, illuc* (in Paradisum) *translatos esse* (quo etiam divum Paulum asportatum fuisse asserit, ibique arcana verba audivisse) . . . *& ibi manere eos, qui translati sunt* (intellige Henoch, & Eliam) *usque ad consummationem, quo auspicantur incorruptelam.* Item S. Augustinus lib. 2. de peccato originali c. 23. docet, quæstiones aliquas esse, quarum solutio sine culpa, aut errore à fidelibus ignoratur, aut aliter, quàm fit, conjicitur, & dans exemplum ait: *Veluti, cùm quæritur: qualis, & ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere, cum tamen illum esse Paradisum fides christiana non dubitet.* Ubi hæc postrema verba clarè adstruunt existentiam mo-

modernam Paradiſi. Item Alcimus hic canit de Paradiſo:

Permanet æterno concluſus limite, poſtquam hinc
Excidit expulſus primævi criminis author.

Favet etiam ſacra Scriptura, quæ Eccleſ. c. 44. ℣. 16. ſic habet: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam.* Unde S. Victorinus Martyr, S. Hieronymus, Athanaſius, & alii Henoch. & Eliam in Paradiſo voluptatis adhuc vitam degere exiſtimant, & ita ejus exiſtentiam ſupponunt. Tandem ad cuſtodiendam viam Paradiſi, & ad impediendum ingreſſum collocatus eſt Cherub cum flammeo, atque verſatili gladio, ùt innuitur in fine capitis tertii Gen. quod opus non eſſet, ſi locus ille dirutus fuiſſet.

In confirmationem etiamnum exſtantis Paradiſi, & hodiedum ſuperſtitum Prophetarum Enoch, & Eliæ refero ſucceſſum hiſtoricum ex eruditiſſimo Clericato *Nelle Spiche vulgari idiomate recolte verb. Elia, & Enoch*, quod ſub ea dumtaxat certitudine vendo, quam facta hiſtorica merentur.

Grazioſo è quel ſucceſſo del Venerando Frà Benedetto d'Arezzo, uno dei primi Religioſi, e Figliuoli ſpirituali del glorioſo Patriarca S. Franceſco d'Aſſiſi, che

si legge nell' istoria Cronologica dei Padri Francescani di Gerusalemme, scritta dal Padre Fra Giovanni da Callaorra, Minor Osservante della Provincia di Burgos nel libro secondo.

Il successo è questo. Essendo stato mandato esso Ven. Frà Benedetto d'Arezzo oltre il mare nell' Africa a predicare la Santa Fede a' Saraceni, ed a reggere diversi Conventi ivi fondati di Frati del suo Ordine, dopo avere faticato per molti anni con gran profitto dell' Anime, e vantaggio della Religione, risolse ritornare in Italia, per ritirarsi a vivere in una povera Cella, ed attendere alla contemplazione dell' eterna vita. Ottenne da alcuni Marinari, benchè infedeli, d'entrare nella loro Nave, che stava per partire a momenti verso l'Italia, come da lì a poco si fece. Alla metà del viaggio insorse una tempesta così fiera, che facendo temere a quei Mori il naufragio, per iscansarlo, cominciarono a gittare in mare tutte le Mercanzie, che nella Nave avevano, e fatti rabbiosi da tale sfortuna, essendo infedeli, presero anco il povero Frate Benedetto d'Arezzo, e lo gettarono nel mare, benchè con poco loro profitto, perchè in gastigo della loro empietà, la Nave si sommerse, e si annegarano tutti. Il Ven. Frà Benedetto gettato nel Mare,

e caduto nell' acqua, fu ſubito preſo per un braccio dal ſuo Angelo Cuſtode, e ſollevato in aria, fu portato nel Paradiſo terreſtre, ove erano li due Santi Profeti Elia, ed Henoch. Queſti reſtarono ammirati nel vedere un tale Religioſo, veſtito così poveramente, con una ſola Tonica, e sì aſpra. Gli andarono incontro, e lo ſalutarono, e gli richieſero, chi foſſe? e come capitato in quel luogo? Frà Benedetto diede notizia ai medeſimi della Religione inſtituita da S. Franceſco nella Chieſa Cattolica, il ſuo paſſaggio, e dimora fatta nell' Africa, il ſuo ritorno intrapreſo verſo Italia, la tempeſta inſorta nel mare, in cui era ſtato gettato fuori della Nave, a guiſa d'un' altro Giona, dai Saraceni; e che dal ſuo Angelo, cavato dall' onde, era ſtato portato in quel luogo; richiedendo anch' eſſo, chi loro foſſero? ripoſero, che erano Elia, ed Henoch, quali ſtavano in quel luogo benedicendo il Signore, e lo conduſſero in diverſe parti a vedere le delizie di quella abitazione. Mentre Frà Benedetto ſtava mirando, ed oſſervando quanto quei due Santi Vecchi gli dicevano, e monſtravano, fu preſo di nuovo nelle braccia dall' Angelo, e con gran velocità portato per aria, fu collocato in Italia ſu la riva del mare, e porto d'Ancona. Nello ſteſ-

so tempo giunsero nel medesimo porto alcune altre Navi, che viaggiavano di conserva con quella affondata: e sapendo i Marinari, che in essa vi era Frà Benedetto, restarono stupiti vedendolo sul porto sano, e salvo, mentre lo tenevano con tutti gli altri annegato. L'interrogarono in che modo avesse compito il viaggio? ed egli raccontò loro la mirabile providenza Divina, e la custodia di lui tenuta dal suo Angelo Custode. Andò poi il Venerando Frà Benedetto al più vicino Convento de' suoi Frati, ove fu ricevuto con somma carità, e gaudio di spirito, coll' avere intese le vicende del suo viaggio. Ma que' buoni Padri più solleciti della Santità della loro vita, che di scrivere le cose maravigliose vedute nel Paradiso Terrestre da Frà Benedetto, altro non notarono, che il successo, quale però ci serve d'attestato, che li Profeti Henoch, ed Elia sono conservati in vita per tanti secoli dall' onnipotenza del Signore in quel luogo felice, incognito a' mortali.

Nec obstat, quod tempore diluvii indaverint aquæ super universam terram. Non obstat. Sicut enim per aquas illas terra tota inundata est, non tamen omnino destructa, nec interierunt plantæ ejus, sed decorem suum potiori saltem ex parte denuo

nuo recuperavit: Sic etiam Paradiſus decorem ſuum ſimiliter recuperare potuit poſt diluvium. Deinde potuit Deus locum illum ab inundatione præſervare, ſicut præſervavit Henoch, ne ſubmerſus ſuffocetur, qui proinde alicubi eſſe debuit, quo aquæ non pertigerunt, qui locus probabiliter Paradiſus fuit, cum ille non fuerit locus peccatis obnoxius, propter quæ diluvium illud immiſſum fuit ſuper terram à peccatoribus habitatam.

Quod autem Paradiſus à Geographis, aliſque terræ incolis non reperiatur, poteſt dici, id à divina providentia provenire, quæ ad denegandum ſuaviori modo ingreſſum, occultat locum illum. Deinde, quia dantur in partibus præſertim Orientalibus Africæ, & Aſiæ ampliſſima deſerta etiam 40. dietarum, in quibus fortè deliteſcere poteſt talis locus excelſis montibus circumdatus: qui etiam per quatuor inde manantium fluviorum inveſtigationem attingi ideo non poteſt, quia iſti ampliſſimis antea ſubterraneis meatibus ſuſcipiuntur, priusquam in terram noſtram prorumpant.

QUÆSTIO IV.

Quando, quomodo, & ubi formati fuerint Adam, & Eva?

℟. I. Ambos productos fuisse sexta die: quamvis enim aliqui putent, solum Adamum factum fuisse sexta die, & Evam postea, hoc tamen non est credibile, quia Deus in fine sextæ diei cessavit ab omni opere: *Et requievit die septimo ab omni opere, quod patrárat*, ut habetur expresse c. 2. Gen. v. 2. ubi v. 3. insuper subjungitur: *Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* Quamvis autem post opera sex dierum loquatur Moyses de formatione Evæ, hoc non officit, quia ibi nempe Gen. c. 20. v. 21. & seq. narrat solum, quomodo producta fuerit: narrando vero ea, quæ facta sunt die sexto, expresse dicit Gen. c. 1. v. 27. & 28. *Masculum, & fœminam creavit eos: benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini &c.*

℟. II. Adam formatus fuit ex limo terræ Gen. c. 2. v. 7. ibi: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ:* Adam enim in Hebræo significat præcisum

de

de terra, & dicitur Adam *de Adama*, quod ſignificat terram, ut tradit Toſtatus *in Cap. 5. Gen. ante quæſtionem primam*, ſicut â Latinis homo dicitur ab *humo*, ut tradunt communiter Doctores. Adam formatum fuiſſe in Campo Damaſceno, loco quodam Campeſtri juxta Civitatem *Hebron*, quæ non, quando Adam formatus eſt, ſed multo poſt condita fuit in loco diſtanti ab Jeruſalem ſexdecim milliaribus, ſive octo leucis, tradunt varii apud Toſtatum in Cap. 1. Gen. q. 22. & in Cap. 13. q. 834.

Adami Corpus ſecundum aliquos veteres Eccleſiæ Patres, dicitur formatum ex quatuor mundi partibus, eo, quod juxta Græcum idioma ſingulæ vocabuli *Adam* litteræ inchoent ſingulas quatuor mundi præcipuas partes, nempe *Orientem*, *Occidentem*, *Aquilonem*, & *Meridiem*, ut expendit S. Cyprianus, vel quisquis eſt Author *libri de Montibus Sina, & Sion adverſus Judæos*, ibi: Hebraicum Adam in Latino interprætatur, Terra caro facta, *eo quod ex quatuor Cardinibus Orbis terrarum pugno comprehendit terram, ſicut ſcriptum eſt:* Palmo menſus ſum Cœlum, & pugno comprehendo terram, & finxi hominem ex omni limo terræ, ad imaginem Dei feci illum: *oportuit illum ex his quatuor Cardinibus orbis terræ nomen in ſe portare Adam.*

Invenimus in Scripturis per singulos cardines Orbis terræ esse à Conditore mundi quatuor stellas constitutas in singulis Cardinibus: Prima stella Orientalis dicitur Anatole, *secunda Occidentalis dicitur* Dysis; *tertia Aquilonaris dicitur* Aretos; *quarta meridionalis dicitur* Mesembria. *Ex nominibus stellarum quatuor de singulis stellarum nominibus tolle singulas litteras principales.* De stella Anatole A. de stella Dysis D. de stella Aretos A. de stella Mesembria M. *In his quatuor litteris Cardinibus habes nomen Adam.* Idipsum confirmat S. Augustinus tract. 9. & 10. in Joan. ubi sic ait: *In Adam vocabulo quatuor orbis terrarum partes, per Græcas applicationes demonstrantur: Si enim Græce dicantur Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, sicut eas plerisque locis Scriptura commemorat, in capitibus verborum invenis Adam.*

III. Eva producta fuit de costa Adami, textu claro *in cit. cap. 2. Gen. v. 21. & 22.* ibi: *Tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Et quidem producta fuit ex costa Adami, seu de latere ejus, ut advertunt Sancti Patres, & Interpretes, ne aut Domina si de capite, aut Ancilla, si de pedibus, sed de medio produci debuit, ut socia viri mu-

mulier intelligatur. Nec ex ſola coſta, ſed etiam ex carne Adami producta fuit Eva, ut notant communiter Doctores, id deducentes ex verbis ipſius Adami *Gen. c. 2. ℣. 23.* ibi: *Dixitque Adam, hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.*

Coſta illa quamvis fuerit Adamo neceſſaria, ut erat caput naturæ humanæ, & ut ex ipſa formaretur Eva, erat tamen ei ſuperflua quantum ad integritatem individui, quia ut recte ex communiori Doctorum advertit Toſtat. *in c. 13. Gen. q. 357. & 359.* Adam habuit in principio plures coſtas, quàm nos, & plures in uno latere, quàm in alio; & ablata illa, manſerunt ei tot, quot nobis, & pares in utroque latere diſpoſitæ ordine ſuo: & ratio eſt, quia ſi Adam tot coſtas habuiſſet, quot nos, manſiſſet Adam deficiens in una coſta, quod non eſt dicendum, ne admittatur defectus in formatis à Deo, præſertim in eo, qui fuit primus, & ſupernaturaliter formatus; Tum quia Deus replevit carnem pro ea, quod non fuiſſet, ſi coſta illa fuiſſet Adamo neceſſaria quoad integritatem individui, quia ibi poſuiſſet aliam coſtam. Cum ergo Deus carnem produxerit loco dictæ coſtæ; ſequitur, quod illa coſta fuerit illi ſuperflua, & adhuc ſine illa tot haberet coſtas,

quot nos, ne maneret defectus in individuo sic perfecte constituto, & minores haberet costas, quam natura exigat ad sui perfectionem, & integritatem, ad quam 24. requiri tradunt Physiologi, & Medici, dicentes, corpus nostrum 24. costis duodenis, utrovis in latere esse constructum. Tum etiam, qnia si illa costa fuisset necessaria Adamo quantum ad integritatem individui, deberet resurgere in ipso Adamo, sicut manus abscissa alicui resurget in ipso; & tunc non resurgeret in Eva; unde non posset resurgere Eva, quia id, quod materialiter ipsa erat, resurgeret in Adamo: quod non est dicendum, quia ipsa resurget in Eva, cum sit de integritate ejus individui, tanquam principalis materia ipsius, ut notat Tostatus *cit. q. 357.*

Unde concludendum est cum ipso Tostato *cit. q. 259.* & communiori Doctorum, quod Adam formatus fuerit cum pluribus costis in uno latere, quam in alio, nempe ut dicunt etiam alii plures cum tredecim in sinistro latere, sicque habuit plures costas, quam nos; erátque in ipso una superabundans, quam Deus produxerat ex industria, ut illam postea detraheret, & formaret inde mulierem; qua ablata, & inde formata Eva, remansit in utroque latere Adami par costarum numerus, &

fue-

fuerunt tot, quot in nobis; ſicque illa coſta erat ſuperflua Adamo quoad integritatem ſui individui; quamvis ei fuerit neceſſaria, ut erat caput naturæ humanæ, ut ex ipſa formaretur Eva. Unde non videtur ſequenda opinio aliquorum volentium quod fœminæ habeant unam coſtam plus, quam viri, ut inter alios tenuit D. De Ivigne *in novo Dictionario Theologico hiſtorico &c. Gallico idiomate impreſſo, verb. Adam.* Hoc enim dato perfectius eſſet corpus fœminæ, quam viri, quod eſt contra rationem, & experientiam.

Petes. Quo nomine Adam compellaverit uxorem ſuam?

℟. Adam vocavit uxorem ſuam *Evam*, eo, quod futura eſſet mater cunctorum viventium Gen. c. 3. ℣. 20. *Et vocavit Adam nomen uxoris ſuæ Eva, eo quod mater eſſet cunctorum viventium;* in Hebræo habetur *Hava*, quod deſcendit de *Hai*, id eſt, vita, quia ut redditur ratio in litera, ipſa eſt mater cunctorum viventium: Ante commiſſum peccatum denominaverat Adam uxorem ſuam nomine naturæ, ſcilicet *viraginem*, quia de viro ſumpta eſt Gen. c. 2. ℣. 23. *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt*: nunc vero poſt commiſſam culpam denominat eam *Evam* à miſeria, quia miſerorum omnium mater futura erat,

& *miseros facit populos peccatum*, ut dicitur Proverb. c. 14. v. 34. Hinc pie aliqui dicunt apte vocari *Evam*, quasi hoc nomine alludat ad ejulationem parvulorum ex *Eva* prognatorum; masculi enim recenter nati ejulando dicunt A. Fœminæ vero dicunt E. Unde Poëta:

Dicunt E. vel A. quotquot nascuntur ab Eva.

IV. Adam extra Paradisum fuit formatus, & Eva intra Paradisum, Cap. *Illud autem.* 9. dist. 40. ubi ex Ambrosio lib. de Parad. c. 4. sic expresse habetur: *Illud autem animadverte, extra Paradisum vir factus est, & mulier intra Paradisum, ut advertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi comparet. Denique extra Paradisum factus, hoc est, inferiore loco vir melior invenitur, & illa, quæ in meliori loco, hoc est, in Paradiso facta est, inferior reperitur.* Non autem ideo formata fuit Eva in Paradiso, quia dignior, sed quia fuit formata de latere Adami existentis in Paradiso. Sic expresse Tostatus in Cap. 13. Gen. q. 136.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Qua die, & hora Adam, & Eva comederint de fructu vetito, qua item de Paradiſo ſint expulſi?

℣. ADamum, & Evam violato Dei præcepto de non comedendo fructu ligni Scientiæ boni, & mali appetentes Scientiam Divinæ ſimilem, juxta falſam diaboli ſerpentis promiſſionem Gen. 3. ℣. 5. *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum*, ejectos fuiſſe de Paradiſo Gen. c. 3. Unde Deus ibidem ℣. 22. decepto Adamo, ſcientiam, qua Deo ſimilis fieret, fruſtra expetitam, pulchra ironia, & ſarcaſmo exprobrat: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum.*

Qua vero die, qua hora Adam, & Eva comederint de fructu vetito, qua item exturbati ſint de Paradiſo, incertum eſt. Beda enim, Marianus Scotus, & plurimi alii apud Tirinum tom. 1. in Chronico Sacro C. 48. Concl. 5. affirmant Adamum, & Evam eadem die & creatos â Deo, & lapſos, & Paradiſo expulſos fuiſſe, nempe die 23. Martii. Alii apud Gervaſium Tilberien. *lib. de otiis Imperialibus decis. 1.* Et Abulenſis *in Cap. 13.*

loc.

loc. cit. q. 606. dicunt per septem tantum horas eos mansisse in Paradiso, & propter hoc volunt, quod septem sint Psalmi pœnitentiales, ad signandas septem illas horas. Alii apud Abulensem *loc. cit. q. 608.* tenent, quod Adamus, & Eva fuerint de Paradiso ejecti hora decima, & manserint novem horis in Paradiso, quia Christus tantum duravit tormenta patiendo, quamdiu fuerunt Adam, & Eva in Paradiso: & ideo, quia Christus perseveravit usque ad horam nonam diei, & tunc exspiravit: Sic Adam & Eva perseveraverunt novem horis in Paradiso, & hora decima ejecti sunt. Tandem Fraſſen *tom. 2. tract. 3. Theolog. disp. 3. a. 2. q. 2.* sustinet cum communiori Doctorum, quod non fuerint eodem die formati, & de Paradiso ejecti, sed pluribus diebus in Paradiso manserint, quæ sententia etiam ipsimet S. Scripturæ conformior esse videtur, ex quo enim serpens *Gen. c. 3. v. 1.* dixit Evæ: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Signum est, quod per aliquot dies observaverit Adam, & Evam, ex omnium arborum fructibus solitos fuisse comedere, uno excepto fructu arboris scientiæ boni, & mali, à quo videbat eos sese religiose abstinere; quod utique Eva confirmâsse videtur, dum *Gen. c. 3. v. 2.* serpenti respondit: *De fructu*

ctu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo, veſcimur, dicendo enim, *veſcimur*, nihil aliud dicere voluit, niſi veſci ſolemus.

Tum quia non videtur veroſimile tam multa, & varia, quæ inter creationem Adæ, & ejectionem ejus ê Paradiſo narrantur facta *C. 1. 2. & 3. Gen.* intra unum ſolum diem coarctari. Sexto enim die creata ſunt animalia terreſtria, poſt hæc primo formatus eſt homo extra Paradiſum, qui dein translatus eſt in Paradiſum: deinde impoſitum eſt præceptum, ut de omni ligno Paradiſi comederet, â ligno autem ſcientiæ abſtineret.

Poſt hæc adducta ſunt ad eum animalia, ac ſingulis ſpeciebus impoſita nomina eorum naturis proportionata. Inde immiſſus Adæ ſopor, & ex ejus lateris coſta Eva formata; qui ambo nudi ibidem converſabantur, nec tamen adhuc erubeſcebant. Secuta eſt tentatio ſerpentina, quæ vix in primo impetu videtur eſſe abſoluta, ſed aliquid temporis inſumptum, donec mulier vinceretur, & dein poſt tempus etiam Adam: poſtmodum fecerunt ſibi de foliis ficûs perizomata: & audientes vocem Domini ſeſe abdiderunt ad loca arbuſtis conſita: hos diſcoopertos increpavit Deus, eisque pœnas dictavit, ac tandem ê Paradiſo ejecit. Quæ omnia facta longiori, quam

diur-

diurno temporis intervallo indigere videntur, ut modo humano convenienter sine præcipitantia fiant. Unde putant aliqui illos in Paradiso mansisse octo diebus, & octavo die, quo fuerunt creati, hoc est feria sexta hebdomadæ secundæ ê Paradiso fuisse ejectos, nam spatium octo dierum videtur congruens, & sufficiens fuisse ad supradicta omnia commode explicanda. Idque consonat iis, quæ Sancti Patres docent, Adamum eodem die creatum esse, & lapsum, nempe non eodem numero die, sed eodem relabente die hebdomadæ sequentis, ut expresse asserit Fraſſen *loc. cit. q. 2. Concl. in fine,*

Petes. Quam regionem incoluerint Adam, & Eva, postquam ê Paradiso expulsi sunt?

℟. Eos probabilius habitâsse in ea regione, quæ nunc Judæa, & Palæstina dicitur: sic ex vetustissima Hebræorum traditione affirmat S. Basilius in cap. 5. Ezech. *Obtinuit fama quædam in Ecclesia memoriam conservans, non scripto proditam, quæ & talis est, quod prima utique Judæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, simul atque excidit deliciis Paradisi in hac terra collocatum ad mitigandam jacturam bonorum, quibus fuerat exutus.*

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quæ fuerit arbor, cujus fructûs comeſtio fuit prohibita Adamo, & Evæ?

R. PRobabilius fuiſſe malum, ſeu pomum, ut colligi videtur ex Cantic. c. 8. ℣. 5. ubi ſic habetur: *Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Cæterum veroſimile eſt ſpecie diverſam fuiſſe arborem illam ab omnibus malis noſtris, ſeu citreis, ſeu aureis, ſeu perſicis, ſeu vulgaribus; nam ſi fuiſſet ejusdem ſpeciei, & naturæ cum aliis aliquibus Paradiſi arboribus, facile potuiſſent Adam, & Eva Dei prohibitionem eludere, & Satanæ tentationem ſuperare, comedendo de fructu alterius arboris ejusdem ſpeciei, totaliter impune, & ſine ullo periculo, cum ipſis non fuerit interdicta comeſtio, niſi de fructu ligni ſcientiæ boni, & mali in medio Paradiſi exiſtentis, ut patet Gen. c. 2. ℣. 16. & 17. & c. 3. ℣. 2. & 3. Ita Salianus, Cornel. à Lapide. Unde

Rejicitur opinio eorum, qui exiſtimabant, arborem illam fuiſſe mulierem, ut refert Moſes Barcepha *lib. de Paradiſo cap. 19.* ubi ſic habet: *Nonnulli exiſtimant non fuiſſe illam veram, & naturalem arborem, cujus fructum guſtaverit Adam, ſed venereum am-*

ple-

plexum, quo cum uxore ille corpus miscuit, eamque ob rem ajunt partum mulieris esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium: neque aliud voluisse illud præceptum, ne edatis de illa arbore, quam ne coeatis, sed sancte, & absque venere vivatis. Cujus delirii auctorem fuisse Origenem, affirmat Anastasius Sinaita *lib. 9. in Hexameron*, his verbis: *Nefandorum autem effector, sicut obscœnorum perpetrator Origenes existimavit eam arborem esse mulierem.* Falsitatem autem hujus opinionis demonstrat communis Sanctorum Patrum, & Catholicorum Doctorum sensus, qui omnes teste Barcepha *loc. cit.* & Tostato *in cap. 4. Gen. q. 2.* asserunt expresse, quod primi parentes in Paradiso virgines manserint, & de Paradiso virgines exierint, per quod apparet etiam falsitas eorum Hebræorum, qui apud Tostatum *loc. cit.* dicunt, quod Cain, & Abel in Paradiso geniti sint, asserentes, quod formata muliere, & adducta ad Adam, immediate cognoverit eam carnaliter, alioquin fuissent transgressores præcepti sibi statim dati immediate post suam creationem *Gen. cap. 1. v. 28.* ibi: *Crescite, & multiplicamini.*

Rejicitur quoque sententia illorum, qui volunt arborem illam fuisse ficum, eo, quod Adam, & Eva statim ab ejus esu nudos se agnoscentes, ex foliis ficûs tamquam arboris

ris ſibi præ aliis vicinioris ad tegendam ſuam nuditatem veſtem ſibi conſuerunt, ut habetur *Gen. c. 3. v. 7.* ibi: *Cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata:* quæ ſententia licet non contemnenda, utpote defenſa à S. Athanaſio, Theodoreto, Gennadio, Moſe Barcepha, & aliis apud Fraſſen cit. concl. 1. tamen improbatur à Toſtato *in cap. 13. Gen. q. 264.* hac convincenti ratione; quia ſtatim, ac comederunt fructum, illius dolore, ac pudore penitus ſuffuſi, cognoverunt ſe ob id maxima bona amiſiſſe, & maxima mala incurriſſe, unde ſummo horrore, & odio concepto erga illam arborem, ex qua tantum exitium ſibi obvenerat, ſic ab ea corde, animo, & pede receſſerunt, ut nec manum ad folia ejus extendere auderent, ne majus adhuc aliquod damnum ex ea in ſe attraherent, præſertim cum Eva ſerpenti reſponderit *Gen. c. 3. v. 3. de fructu vero ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Hinc concludit Toſtatus: Certum eſſe, quod non ſint auſi poſt peccatum tangere illam arborem, ne majus malum inde eis accideret; ergo cum acceperint folia ficûs, certum eſt, quod arbor ficus non fuerit lignum ſcientiæ boni, & mali.

QUÆSTIO VII.

In quo loco Adam fuerit tumulatus?

℣. ADamum in monte Calvario, â Cranio, seu Calvaria ipsius ita nominato probabilius sepultum esse. Sic fere communis Sanctorum Patrum traditio teste Tirino in cap. 5. ℣. 1. Isajæ, & ita præ cæteris sentit Tertulianus in Carmine contra Marcionem, ubi sic habet:

Golgota locus est capitis, Calvaria quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit:
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum:
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut veteris possit cum sanguine Christi
Commixtus stillantis aquæ virtute lavari.

Ipsi subscripserunt S. Augustinus *serm. 71. de temp. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus; & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia Caput humani generis ibi dicitur esse sepultum.*

Et

Et vere fratres non incongrue creditur, quia ibi erectus ſit medicus, ubi jacebat ægrotus, & dignum erat, ut ubi occiderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret divina miſericordia: & Sanguis ille pretioſus etiam corporaliter dum dignatur pulverem antiqui peccatoris ſtillando contingere, redemiſſe credatur. S. item Hieronymus, licet aliter ſentire videatur in Epitaphio Sanctæ Paulæ, attamen ſcribens nomine Paulæ, & Euſtochii ad S. Marcellam *epiſt. 17. ait: In hac urbe, immo in hoc tum loco, & habitaſſe dicitur, & mortuus Adam, unde & locus, in quo crucifixus eſt Dominus noſter, Calvaria appellatur, ſcilicet, quod ibi ſit antiqui hominis Calvaria condita: ut ſecundi Adam, id eſt, Chriſti ſanguis de Cruce ſtillans, primi Adam, & jacentis Protoplaſti peccata diluerat.* Nec ad rem ſpernenda videtur pia quædam traditio, qua fideles impulſi in Palæſtinam proficiſcuntur, eo, quod ipſis perſuaſum ſit, non modo Chriſtum Jeſum in Calvario fuiſſe mortuum, ſed eo etiam Adæ Corpus fuiſſe injectum. Cui traditioni pia etiam innititur illa pictorum conſuetudo, ut ad inferiorem Crucis partem hominis Calvariam depingant.

Dissertatio II.

DE

IMMORTALITATE HOMINIS INNOCENTIS.

EXposita hominis innocentis felicitate, ac Paradisi essentia, existentia, situ, & duratione, transeo ad prærogativam immortalitatis, qua perseverante innocentiæ statu Adam, & posteri ejus gaviſi fuissent.

PRÆNOTIO.

I. IMmortalitas multifariàm sumi potest. *1mo* enim aliud est immortale per essentiam, cujus vita ita necessaria est in existendo, ut ei absolute, & ab intrinseco repugnet mori, & destrui quoquo modo. Hæc est immortalitas simpliciter, absolute, & proprie talis. *2do* Aliud est immortale ab intrinseco secundum quid, quod nempe contingenter vivit, & existit, principio tamen intrinseco corruptionis caret, proinde mori per corruptionem non potest, sed à solo Deo, & quidem non nisi per annihila-

tio-

tionem deſtrui poteſt: hoc modo immortalis eſt Angelus, & anima rationalis, utpote ſubſtantia vivens ſpiritualis phyſice ſimplex. 3*tio.* Aliud dici poteſt immortale non per eſſentiam, ſed tantum per accidens intrinſecum, ob quod â nulla creatura vita talis viventis deſtrui poteſt, licet per eſſentiam ab intrinſeco ſit proprie corruptibile, tali immortalitate gaudebunt poſt reſurrectionem homines beati, qui quidem ab intrinſeco per eſſentiam ſemper erunt proprie corruptibiles, utpote conſtantes anima, & corpore tamquam partibus realiter diſtinctis, & ſeparabilibus, habebunt tamen in ipſo etiam corpore tales dotes, talia accidentia, & diſpoſitiones pro anima corpus informante, quæ â nullo agente creato poterunt deſtrui, & ſic erunt incorruptibiles ab extrinſeco: immortales igitur erunt, non ab intrinſeco ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum accidens intrinſecum, quod eis perpetuo intrinſece permanenter inhærebit. 4*to*: Immortale in aliquo ſenſu valde improprio dici poteſt, quod poteſt non mori, nec moriturum eſt ex ſpeciali beneficio Dei illud per varia media â morte præſervantis, quod beneficium ſucceſſive confertur. Hæc immortalitas admittitur hominibus in ſtatu innocentiæ, quibus tamen etiam pro tunc priores tres immortalitatis ſpecies non competebant.

II. Ex S. Augustino lib. 13. de civ. Dei c. 12. quadruplex distingui potest *mors*, quæ in primo peccato Adæ sumpsit initium. Una est *mors* animæ ad tempus, quo anima per peccatum manet â Deo spiritualiter separata, eique inimica. Altera est *mors* corporis ad tempus, dum ab ipso separatur anima, cui in die novissimo denuo unietur. Tertia utramque priorem complectitur, & contingit tunc, dum anima â corpore eo tempore separatur, quando simul â Deo spiritualiter separata est, seu aversa per mortale peccatum, & hæc est *mors peccatorum pessima*. Quarta est *mors secunda*, & novissima, qua in die extremi judicii reprobi secundum animam, & corpus projicientur in tenebras exteriores, ad fletum, & stridorem dentium. Nulla vero *mors* ex istis fuisset inter homines, si peccatum non fuisset. His præmissis ponitur

QUÆSTIO I.

Utrum Adamo non peccante tum ipse, tum posteri ejus fuissent immortales?

R. Quamvis perseverante beatissimo innocentiæ statu primus homo ex natura sua mori potuisset, durante tamen statu illo, nec ipse, nec posteri ejus fuis-

sent

ſent aliquando morituri, ut eſt de fide ad Rom. 5. ℣. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intrcivit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.* Si ergo Adam non peccaſſet, nec peccando ſtatum innocentiæ ſuſtuliſſet, mors in mundum non introiſſet. Celebre de hoc eſt Auguſtini teſtimonium lib. 13. de Civ. Dei c. 15. *Unde conſtat inter Chriſtianos veraciter catholicam tenentes fidem etiam ipſam corporis mortem non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, ſed merito inflictam eſſe peccati, quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus . . . . terra es, & in terram ibis.*

Inquiunt: Homines in ſtatu innocentiæ deſeruiſſent vitam præſentem, tranſiviſſent enim ad vitam meliorem, & beatam: ergo fuiſſent mortui.

Repono: Eum mori, qui deſerit vitam præſentem per ſeparationem animæ à corpore, ut fieri ſolet in moderno ſtatu: non illum, qui vitam deſerit præſentem ſecundum accidentia per additionem gloriæ ſine ſeparatione animæ à corpore, ut fieret in ſtatu innocentiæ.

QUÆSTIO II.

Quibus mediis homo innocens fuisset redditus immortalis?

R. Ex Scoto in 2. Dist. 19. qu. *unica.* Homo in statu innocentiæ fuisset non moriturus tum ob singularem Dei protectionem extrinsecam, qua omnes causæ, & pericula mortis amoverentur, ne aquis suffocaretur, fame necaretur, igne combureretur, præcipitio collideretur &c. Tum per specialem temperamenti, & aëris temperiem; tum per saluberrimum nutrimentum, quo calor nativus fuisset impeditus, ne successivè depasceret naturam, cum mox iterum repararetur, quod cœperat absumi, tum per peculiarem Sanctorum Angelorum custodiam; tum tandem ad vitæ prolongationem, ut plurimum ei contulisset fructus ille, quem saluberrima vitæ arbor nullo ejus, aut posterorum labore eidem præbuisset. Mori ergo ab intrinseco poterat innocens homo, poterat quoque ab intrinseco non mori, ab extrinseco vero habuisset, ut in sensu composito divinæ providentiæ non moreretur aliquando.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An juſtitia Originalis fuiſſet cauſa immortalitatis in homine innocente?

R. Suppoſita dictorum veritate ſequitur, quod juſtitia originalis non fuiſſet cauſa formalis tribuens homini ab intrinſeco immortalitatem, cum enim homo non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco immortalis fuiſſet in ſtatu innocentiæ, jam non habuiſſet aliquam formam ſibi intrinſece inhærentem (qualis fuerat juſtitia originalis) per quam immortalis redderetur; unde etiam Scotus cum Scotiſtis negat immortalitatem illius ſtatus ab intrinſeca aliqua qualitate proveniſſe. Tum quia juſtitia originalis non potuit intrinſecas elementares qualitates homini pro tunc ad vitam neceſſarias reddere ab intrinſeco incorruptibiles: nec enim calor naturalis, aliæque hujusmodi qualitates ex conjunctione talis qualitatis fieri poſſunt ab intrinſeco indeſtruibiles, licet ab extrinſeco ita ſervari poſſint, & cuſtodiri, ne actu deſtruantur. Item juſtitia originalis phyſice hominem talem non efficiebat, ut nec vulnerari, nec ſuffocari, aut alio ſimili modo necari poſſet; itaque juſtitia originalis non fuit cauſa phyſica formalis, vel etiam efficiens

immortalitatis in illo statu, fuit tamen causa ejusdem moralis, & occasionalis, quia nempe homo habens justitiam originalem fuisset à Deo conservatus in illo loco, ubi erat arbor vitæ, per cujus fructum secundum extrinsecam supernaturalem Dei assistentiam arcerentur ab homine omnes morbi, & causæ mortis ab intrinseco provenientes, & impediretur pugna elementorum homini intrinsecorum, ne per illam antea deficeret, antequam ad gloriam transferretur. Tali item homini originalem habenti justitiam Deus per suam providentiam etiam ab extrinseco assisteret, ne ab homine, vel animali, ab igne, vel aqua aliquid pati contingeret.

QUÆSTIO IV.

An lignum vitæ, seu fructus arboris vitæ habuerit virtutem conservandi hominem in præsenti vita prorsus in æternum sine fine?

R. Id esse ambiguum, si enim dicatur, quod ex vi ligni vitæ homo quidem ad tempus longissimum, v. g. aliquot millium annorum potuisset protrahere vitam suam, non tamen prorsus in æternum sine omni fine, hoc inquam, si dicatur, gravi fundamen-

damento non carebit, nam virtus in æternum ſine omni fine conſervativa hominis in vita animali fuiſſet ſupervacanea, utpote nunquam exitura in actum ſecundum; quia in ſtatu innocentiæ (in quo lignum ad vitam protrahendam ſerviebat) nemo victurus fuiſſet in hac animali terrena vita prorſus in æternum: quilibet enim aliquando tandem conſecutus fuiſſet ultimum finem ſuum, fuiſſetque ad beatitudinem translatus, cum tunc non niſi electi naſcerentur. Vel ſuppoſito, quod aliquis peccaſſet, nec pœnitentiam agere voluiſſet, incurriſſet pœnam mortis temporalis, & æternæ; ideoque iterum non fuiſſet in terra victurus prorſus in æternum.

Inquiunt· Gen. 2. v. 22. dicitur de Adamo poſt peccatum: *Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Repono. Id ex mente plurium Theologorum ironice, ac irriſorie dictum eſſe, ut conſtat ex præcedentibus verbis ejusdem verſus 22. ubi Deus ait: *Ecce! Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum, & malum.* Quæ verba ironica ſunt: apparet enim ex ignorantia per peccatum incurſa in nobis vigente, quomodo Adam quoad cognitionem boni, & mali divinis Perſonis ob eſum ligni ſcientiæ fuerit ſpecialiter, & ſingulariter

riter assimilatus, conformiter ad promissionem sermonis serpentini: hinc per illa verba ipsi exprobrabatur ambitio, & curiositas per illud serpentis dictum suscitata Gen. c. 3. ℣. 5. *Eritis sicut dii scientes bonum, & malum.* Quod si verba à Deo non ironice, sed serio prolata sunt, tunc hy *in æternum* potest commode intelligi pro tempore longissimo, ut etiam alibi aliquando sumitur in sacris paginis, sic Gen. c. 17. ℣. 8. habetur: *Dabo tibi, & semini tuo omnem terram Chanaan in possessionem æternam*, id est, ad longum tempus possidendam, nec enim prorsus in æternum victuri sunt homines super terram possidentes regionem Chanaan: igitur & ibi sumi potuit *æternitas* pro tempore longissimo.

QUÆSTIO V.

Quando, & quomodo homo innocens de statu viæ transmutatus fuisset ad statum gloriæ?

℟. Si rem assequor, isthæc transmutatio tunc facta fuisset, quando homo merita sua juxta divinam sapientiam, & providentiam ipsi præordinata compleviset, quod forte hoc modo contigisset: Cum hominis innocentis merita plerumque in acti-

actibus internarum potentiarum constitisset, hinc ille in vita contemplativa ad Theologiam mysticam pertinente sese continuo exercuisset (neque enim vitæ activæ ea, quæ nunc est, occasio, vel necessitas tunc fuisset) ac in ea semper magis, & magis mediante fide profeciisset, & ita semper magis fuisset unitus Deo unione intentionali mystica contemplativis nota: dum denique ad certum quemcam dictæ unionis modum perveniisset, tunc ei actu in profunda contemplatione occupato, & forsitan in extasim rapto communicasset Deus in intellectu lumen gloriæ, atque sic abstractivæ, & obscuræ de Deo cognitioni repente succesisset clara intuitiva Dei visio, & in voluntate priori amori actuali viæ succesisset amor beatificus, qui intuitivam Dei visionem sequi solet. Anima igitur in ipso corpore fuisset glorificata, & tunc gloria beatifica illico etiam in corpus redundasset, atque adeo nulla morte prævia fuisset homo de statu viæ ad statum termini beatifici translatus.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quomodo id verificetur Gen. 2. v. 17. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris; *cum notum sit ex Scriptura, Adamum post peccatum nongentis, & triginta annis vixisse?*

℟. HOc resolutum esse à S. Augustino lib. 11. de civ. Dei c. 23. dicente: *Deus dixerat, qua die ederitis ex ligno, morte moriemini; non ideo debet absurdum videri, quia non eo prorsus die à corpore sunt soluti, quo cibum interdictum, mortiferumque sumpserunt, eo quippe die mutata in deterius est, vitiataque natura, atque á ligno vitæ dispositione justissima mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus.* Eodem igitur die gustati pomi mortem incepit sentire, quia defectionem tunc incurrit, & mortis necessitatem, donec per eam successive fuisset consumptus. Et in hoc sensu intelligitur textus.

QUÆSTIO VII.

Quinam perseverante innocentiæ statu fuissent nati?

℟. SI Adam non peccâsset, soli electi nati fuissent, nec enim felicem illum sta-

ſtatum decebat, ut in eo aliquis produceretur damnandus, ac reprobus, qui finaliter in malitia perduraturus prævideretur. Si huic rationi opponatur paritas de Angelis, inter quos multi reprobi producti ſunt, licet ſtatus eorum humanæ innocentiæ ſtatu fuerit à primordio longe felicior: neſcio dare diſparitatem in ratione fundatam: res enim iſta facti eſt à libera Dei voluntate pendens. Quod vero Dei voluntas in ſtatu innocentiæ nullum hominem damnandum produxiſſet in S. Auguſtini authoritate fundatum eſt. Sic ait S. Doctor lib. 14. de Civ. Dei c. 23. *Illud potius eſt credendum, quod Sanctorum numerus, quatenus complendæ illi ſufficit Beatiſſimæ Civitati* (Cœleſti) *tantus exiſteret, etſi nemo peccâſſet, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum* (ad pœnitentiam poſt peccata redeuntium) *quousque filii hujus ſæculi generant, & generantur.*

II. Recte autem illos eosdem, qui modo ſunt prædeſtinati, in dicta hypotheſi natos fuiſſe ſuſtinet Scotus in 2. diſt. 20. q. 2. quod eadem probat ratione, quâ alibi probaverat prædeſtinationem ad gloriam fieri ante præviſa merita; quia nempe omnis ordinate volens prius vult finem, quam media. Sicut autem Scotus licentiam tribuit diſcipulo recedendi ab illa ſententia

circa

circa prædestinationem ante prævisa merita, ita ex eadem licentia ab hac præsenti sententia Scoti recedere posset discipulus, si nempe inter utramque hanc sententiam tanta est connexio, ut una sine altera defendi non possit; quare quantum ad hoc punctum sine Doctoris injuria ab ipsius authoritate præscindere potest Scotista. Hanc tamen Scoti sententiam expresse docet D. Gregorius lib. 4. Moral. c. 36. dicens: *Si primum parentem nulla peccati rubigo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed illi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo nascerentur electi.*

Ut autem hæc sententia sustineatur, & tamen prædestinatio post prævisa merita statuatur, dici potest, quod pro signo priore ante prævisum peccatum Adæ Deus in decreto conditionato prævideat, quod hi iidem electi, qui modo ob prævisa merita Christi, & sua electi sunt, & ultimate in gratia decessuri prævisi, etiam in statu innocentiæ, si in eo perdurante producantur, pariter merita sua modis illis statui convenientibus essent posituri, ob quæ merita in alio decreto conditionato erant prædestinati tum pro statu innocentiæ, tum pro statu naturæ lapsæ. Dum vero pro sequenti signo Adæ peccatum absolute est prævisum ut futurum, tunc hi iidem electi,

qui

qui pro ſtatu innocentiæ conditionate prædeſtinati erant, pro ſtatu naturæ lapſæ ſunt abſolute prædeſtinati ex præviſis meritis in hoc ſtatu ponendis. Ubi adverte, quod longe alia fuiſſent merita electorum in ſtatu innocentiæ ab his, quæ modo ab iis exantlantur, nunc enim per multas tribulationes oportet ingredi in regnum Cœlorum, quod vim patitur, & violenti rapiunt illud: alii ingrediuntur illuc per martyrium carnis, alii ſpiritus &c. quæ tamen tribulationes, & martyria in ſtatu altero non fuiſſent; adeoque alia fuiſſent tunc magna ex parte Electorum merita, ob quæ datum eis fuiſſet regnum Cœlorum.

Diſſertatio III.

DE STATU ANIMÆ POST HANC VITAM.

AGendum hoc loco eſt contra Libertinos, Naturaliſtas, & alios id genus homines, qui, ne ſalutari Dei timore, atque æternarum pœnarum metu coerceri ſe, & ab ea, quam ubique quærunt, vivendi licentia abſterreri ſentiant, animam

cum corpore interire perperam sibi persuadent, nihilque esse ajunt, quod à Deo post hanc vitam sperare, nihil quod metuere debeant.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum anima separata à corpore vivat, ac præmii, suppliciique sit capax?

ARTICULUS I.

Anima humana post mortem non perit, sed in æternum vivit.

I. Quod tacito quodam, eoque communi instinctu omnes, aut fere omnes agnoscunt, idque nonnisi a pauciſſimis, iisque aut plane stupidis, aut malis, & sceleratis negatur, non potest prudenter respui, aut inter præjudicia, quæ à juventute hausta sunt, reponi, secus nil esset, de quo dubitari non posset; at humanæ animæ immortalitatem etiam Gentiles, veteres Philosophi, & omnes cultiores gentes, quamvis fidei lumine destitutæ, ex solo rectæ rationis lumine agnoverunt, igitur animæ immortalitatem, nisi quis contra sanam agere velit rationem, in dubium revocare non audet. Audi ad rem loquentem Ciceronem hominem gentilem lib. 1. Tuscul. quæst.

quæſt. c. 13. de animæ humanæ immortalitate ita differentem: *Omni in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt: quis eſt igitur, qui ſuorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitæ commodis arbitretur? tolle hanc opinionem, luctum ſuſtuleris - - - illa lugubris lamentatio, fletusque mœrens ex eo eſt, quod eum, quem dileximus, vitæ commodis privatum arbitramur, idque ſentire, atque hæc ita ſentimus natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina. Maximum vero argumentum eſt, naturam ipſam de immortalitate animarum tacitam judicare, quod omnibus curæ ſunt, & maxime quidem, quæ poſt mortem futura ſint.* Tum enumeratis iis, quæ ab hominibus eo fine fieri ſolent, hæc ſubjungit: *Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem - - - - neſcio, quomodo inhæret in mentibus, quaſi ſæculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingeniis, altiſſimisque animis, & exiſtit maxime, & appareat facillime.* Ita homo gentilis.

II. Binos propono tibi homines, unum, qui malè, alterum, qui bene vixit. Ille timet imminentem mortem, pallet ad omne ejus periculum, & ſi vel de morte audit, terrore quodam, & horrore concutitur. Poſterior ad mortis conſpectum aut omnino non, aut non adeo exhorreſcit, quem

recte factorum conscientia ab omni futurorum metu eximit. Jam quæro, quæ causa metus in priore? naturæ solius interitum metuentis horror esse non potest, cum enim ea, quæ à natura ortum habent, communia sint omnibus, hic metus, & horror in utroque æqualis foret. Alia ergo istius metus investiganda causa, & quæ illa? nisi quam Cicero assignat: *Inhæret in mentibus sæculorum quoddam augurium futurorum.* Hoc vero *augurium*, an non animæ indicat immortalitatem, & supereſſe post hanc vitam aliquid, quod aut sperari à nobis possit, aut timeri debeat, manifeste ostendit.

III. Anima est ex naturæ suæ conditione immortalis, cum purus sit spiritus, isque simplex, nullis constans partibus, nulla proinde partium separatione dissolvendus, ut ergo cum fundamento asseratur, animam cum corpore interire, necesse est ostendere, quod Deus decreverit, se velle contra hanc animæ naturalem exigentiam agere, & supremo suo dominio ad eam destruendam uti. Hoc autem hactenus libertini non demonstrarunt, nec demonstrabunt in æternum.

AR-

ARTICULUS II.

Solvuntur objectiones.

I. INquiunt: Anima naſcitur cum corpore: ergo cum hoc etiam interit.

Repono: Animam noſtram non eodem, quo corpus, modo per coaugmentationem partium naſci, ut ejus partes iterum diſſolvi, ac diſſipari queant, ſed à Deo creari, & corpori infundi, ut omnes nôrunt. Nec, dum è corpore egreditur, à Deo redigitur in nihilum, habet illa perpetuæ exiſtentiæ finem, propter quem creata eſt, nempe, ut Creatoris ſui cognitione, laude, & amore ſe occupet, & hæc agendo ſemper vivat: hæc eadem, uti ejus creandæ ſufficiens cauſa fuit, ita quoque ejus conſervandæ ratio, Deo utique digniſſima futura eſt, qui conſervando animam fatigari, aut ejus conſervandæ virtutem amittere nunquam poteſt.

II. Inquiunt: Animæ finis eſt tantum, ut exiſtat, ut agat, quamdiu inſerſa eſt corpori, & illo tamquam inſtrumento ſuo utatur.

Repono: Falſum hoc eſſe: appetitus quippe ab ipſa natura animæ inditus evincit contrarium. Habemus in nobis veræ felicitatis, & beatitudinis deſiderium, quod nullis hujus vitæ bonis expleri, & ſatiari

potest; unde Augustinus lib. 1. Conf. c. 1. exclamare fuit coactus: *Domine fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Superstes ergo manet post hanc miseram vitam anima, quæ altiore bono satietur, secus frustraneus foret ejusmodi appetitus, atque ad nos tantum decipiendos ab authore naturæ inditus, si cum corpore interiret anima, nosque verum illud bonum, quod naturaliter appetimus, assequi nunquam possemus.

III. Inquiunt: Anima videtur cum corpore adolescere, valere, ægrotare, videtur morbos, tristitiam, dolorem, metum sentire: ergo tandem deficere, his succumbere, & interire debet.

Repono: Hæc corpus, non animam afficere, quæ prædicta hac solum ratione sentit, quia corpori alligata est, quo tanquam suo instrumento non semper eodem modo uti potest: Nec spiritus compositionis expers his dissolvi, & interimi potest. Imo excitatis mox contrariis affectionibus sese conservare nititur.

IV. Inquiunt: Nemo usque ad hodiernam diem ad nos redivit ex mortuis, qui animam humanam immortalem esse, & post hanc vitam dari aliam, in qua in æternum vivat, testatus fuisset: ergo anima humana immortalis non est. Item: Anima

nostra

noſtra orta eſt ex nihilo: ergo in nihilum redire debet. Rurſum: Anima noſtra aliud non eſt, quam ſubtilis quædam materia molli äeri non abſimilis: ergo ubi à corpore ſeparatur, diſſipatur, & diſſolvitur. Hæc tria ſunt à primis Libertinorum parentibus in libro Sapientiæ c. 2. ℣. 1. & 2. adducta: *Non eſt agnitus, qui ſit reverſus ab inferis; quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum, qua extincta cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis äer.*

Repono ad primum: Ex eo, quod nullus ex mortuis ad nos rediverit (dato etiam, quod hoc verum foret) minime ſequi, animam humanam immortalem non eſſe; ſicut non ſequitur: *Nemo ante tria ſæcula ex America ad nos venit, qui homines ibi dari referret: ergo nulli ante tria ſæcula homines in America fuerunt.* Satis conſtat ex præcedentibus, animam in æternum vivere, quamquam id nullus ex mortuis prædicaret. Sed quid juvaret Libertinos, ſi hoc ipſo momento, quo hæc ſcribo, rediret aliquis ex mortuis, & clara voce omnibus audientibus clamaret, animam humanam eſſe immortalem, & poſt hanc vitam ſupereſſe aliam, aut æternum felicem,

aut æternum infelicem, riderent ad hos clamores ipsi, ac phantasma esse dicerent, rediviſſe aliquem ex mortuis, & has demortui hominis voces ſuiſſe audacter negarent.

Ad ſecundum: Cum anima humana à cauſa aliqua creata produci nequeat, ſed à ſolo Deo libere creetur, conſequitur, eam etiam à cauſa aliqua creata interimi non poſſe: Deo autem, ſicut eam creare fuit liberum, ita liberum prorſus eſt non contravenire naturali ipſius exigentiæ, ſed illam, & quidem in æternum conſervare.

Ad tertium: Cum materiæ ſubtili, molliori äeri, vis cogitandi, ratiocinandi, res à ſenſibus remotas cognoſcendi, & appetendi, quam in anima noſtra dari experimur, convenire non poſſit, ut de ſe clarum, manifeſte ſequitur, in his animam rationalem conſiſtere non poſſe.

ARTICULUS III.

Poſt mortem juſtos præmia, impios ſupplicia manent.

GRaviſſimi ſæpe peccatores in hac vita feliciſſimi ſunt, abundant bonis temporalibus, florent dignitatibus, honoribus afficiuntur, pollent authoritate, viribus, fa-

favore Principum, honorantur ab inferioribus, vitam omnem in voluptatibus, ac deliciis ad extremam uſque ſenectutem, ipſamque mortem agunt, fortunam ſibi denique in rebus omnibus, & ad omnes ſuos nutus obſequentem habent, neque tamen a ſuis vitiis unquam reſipiſcunt, quinimo mortem ipſam absque ullis editis pœnitentiæ ſignis oppetunt. Horum igitur peccata, divinæ legis transgreſſiones, Deique contemptus in hoc mundo, in hac vita vindicati non ſunt per actam ab illis pœnitentiam. Nec offenſo Numini ſatisfactum per voluntarie reparatas, quas illi intulerunt, injurias, neque per pœnas eis ab ipſo Deo pro tot, tantisque culpis irrogatas.

Ex adverſo ſunt alii, qui legem Dei etiam in iis, quæ videntur ardua, exacte cuſtodiunt, ab illa, quamvis aliorum odia, contemptus, ludibria ſuſtinere cogantur, non recedunt, admiſſas humana magis fragilitate, quam perverſa voluntate culpas, acta pœnitentia eluere, & offenſum Deum placare ſtudent, terrenæ tamen felicitatis expertes vivunt, egeſtate premuntur, carent amicis, voluptatibus, ſolatiis, vexantur adverſis, aliorum odiis, ac invidia opprimuntur, contumeliis, calumniis, opprobriis afficiuntur, fortunam ſibi denique

in rebus omnibus adversam experiuntur, neque tamen propterea à virtutis studio, divinæque legis observantia recedunt, sed ad extremum usque spiritum Deo subjecti, & obsequentes perseverant. Horum igitur fides, & obsequium Deo præstitum nil in ista vita præmii recepit, sed potius pœnas, easque sat graves perpessi sunt.

Si ergo per mortem finita sunt omnia, & nullum justis post hanc vitam sperandum præmium, iniquis nulla pœna timenda, multo utique melior erit peccatorum, & malorum, quam justorum, bonorumque conditio. Hoc autem supposito, quid de Deo licebit sentire? An non fas erit suspicari, deesse illi scientiam, qua actiones nostras bonas, & malas intime cognoscat, deesse sapientiam, qua de illis, utrum bonæ, vel malæ, utrum, & quali præmio, aut pœna dignæ sint? citra erroris periculum dijudicet: deesse potestatem, qua justos beet, & malos puniat: deesse voluntatem, qua sceleratos castiget, probos remuneretur. Qua ratione autem his stantibus omniscius, sapientissimus, potentissimus, optimus, justissimus audiet? Quis se resolvet, ut tali serviat Deo, ut leges ab eo latas observet? Si tam inclementer secum agi, & melioris conditionis aliquando obtinendæ nullam spem sibi superesse cognoverit. Quis

ejus

ejus non contemnet authoritatem? quis ſubjectionem, & obſequium ei non denegabit? ſi experientia didicerit, hanc eſſe viam, qua vitam ſibi commodam, ac felicem paret, ſi nihil eſſe viderit, quod à contempto, & neglecto Deo aliquando formidet, ſtultus profecto reputabitur, qui coluerit, ac timuerit Deum, ejusque ſervaverit leges, interim miſeram, arduam, ac ærumnis plenam vitam ſine ulla futuræ retributionis ſpe elegerit, cum excutiendo jugum, & dicendo: *non ſerviam*, abundare bonis, frui deliciis, omnique hujus vitæ felicitate poſſet.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones.

I. Inquiunt: Deus eſt infinite bonus: ergo licet juſtos remuneretur, non tamen punit malos.

Repono: Deus eſt infinite bonus, ſed eſt unà infinite juſtus, hoc quippe poſtulat ratio Dei, ut omne perfectionis genus includat: ſi ergo qua infinite bonus juſtis in altera vita retribuit, infinite quoque juſtus iniquos in futuro ſæculo caſtiget, eſt neceſſe. Deinde quale ſentimen formaret quispiam de Principe, qui omnibus præmia

mia, nulli unquam pœnas, quamvis noxio, & perturbatæ Reipublicæ, ac graviſſimorum ſcelerum reo civi decerneret, qui mortis, exilii, aut perpetui carceris ſententiam in neminem unquam ferret? an eum bonum, & optimum Principem diceret? an non potius vappam hominis, & non Principem, ſed larvam Principis exiſtimaret? Quis eſſet, qui ejus leges riſu, contemptu, & ſarcaſmis non exciperet? mandata in ejus conſpectu transgredi, & quæcunque luberet, facinora perpetrare non auderet? En! quod in humano quovis Principe ſummum foret vitium, hoc Deo impingunt Libertini, dum eo divinam attollunt bonitatem, ut retribuat bonis, non tamen puniat malos.

II. Inquiunt: Virtus ipſa ſuum ſibi præmium, ſcelus verò ſua ſibi pœna eſt: & in hoc conſiſtit illa ſapientiſſimi, & juſtiſſimi Dei providentia, quod rationalem naturam ita voluerit eſſe comparatam, ut, qui virtutem colunt, ipſa recte factorum conſcientia, interna pace, & animi tranquillitate, eaque, quæ virtutem ſequi ſolet, fama, & exiſtimatione præ omni alio præmio delectentur: reæ vero conſcientiæ ſtimuli, & remorſus, amiſſa pax, & quies animi, terrores, metus, &, quæ ſceleratos manet, infamia, pœnæ ſint, quibus ii cruciantur, qui Dei mandata transgredi, & plenam

ſce-

ſceleribus vitam ducere non horrent. Hoc totum, ajunt, eſt præmium, quod virtuti, hæc tota eſt pœna, quæ peccatis à Deo decernitur: nec alia in altera vita pœna timenda, nec aliud in altero ſæculo præmium expectandum.

Repono: Sit ita, quod virtus ſuum ſibi præmium, & ſua ſibi pœna ſcelus ſit: non tamen hoc uno aut innocentis, aut reæ conſcientiæ teſtimonio omne præmium, pœna omnis abſolvitur, majus longe præmium, multo graviorem pœnam Dei providentia, juſtitia, bonitas, ac ſupremum in nos dominium exigunt, quibus ad legum ſuarum obſervationem Deus homines alliciat, & à peccatis coërceat, quibus coronentur virtutum merita, & divinæ Majeſtatis contemptus vindicetur. Ut rem clare demonſtrem. Hominem propono omnibus virtutibus inſtructum, ſed pauperem vitam agentem, honoribus, dignitatibus, commodis, voluptatibus, humano favore carentem, continuo afflicta valetudine laborantem, qui præter recte factorum conſcientiam, indeque ortam animi quietem, & quæ virtutem ſequi ſolet, famam, nihil habet majoris boni, quod poſt hanc vitam ſperet. Iſtene hoc ſuo præmio contentus vivit? Eſtne hoc optimo Deo dignum? hocne ſatis movetur homo

ille

ille, ut difficultates superet, quæ cum virtute conjunctæ sunt, ut resistat strenue blandienti mundo, carni, dæmoni, ut tam arduа contra visibiles, & invisibiles animæ hostes subeat certamina, sustineat labores? an non omni ex parte felicem, omnis miseriæ, ac mœroris expertem se reputat? Non profecto, ipsa experientia contrarium clamat.

Alium propono hominem vitiis omnibus immersum, sed opibus, & vitæ commodis abundantem, voluptatibus, divitiis, honoribus, & dignitatibus pollentem: interea inter hæc reæ quidem conscientiæ sua sibi scelera exprobrantis, stimulos sentientem, cupiditatum æstu turbatum, & agitatum, sæpius terrore, & metu correptum, pro scelerato ab hominibus habitum, nec tamen, quod post hanc vitam metuat, habentem. Istene se satis puniri arbitratur? an miserum, & felicitatis expertem se credit? hæcne pœna illum à divinarum legum contemptu, à perpetrandis sceleribus absterret, ac retrahit? hæcne pœna, quam sustinet homo ille, efficaciter persuadebit peccatoribus aliis, ut de admissis criminibus pœniteant? ut illicitis voluptatibus, & vivendi libertati nuncium remittant? an vindicis Dei metum ipsis incutiet? an eos exemplo suo territos revocabit à vitiis? an

non

non potius inanes exiſtimabunt hos terrores, metus, ac ſtimulos, qui nihil ſibi mali adferrent? an non ſolutus futuri alicujus mali metu animus eorum, in ſcelera audacius ruet? an non hominum de ſe ſermones ridebunt? quis ergo hanc pœnam vindice Deo dignam exiſtimabit? quis hanc pœnam ejuſmodi eſſe ſibi perſuadebit, qua providus Deus à legum ſuarum transgreſſione, & ſupremi dominii, ac poteſtatis ſuæ contemptu homines abſterreat, qua juſtiſſimus ſcelerum vindex illatas infinitæ Majeſtati ſuæ à viliſſimis creaturis injurias ſatis ulciſcatur? ratio, & inditum nobis à natura lumen iterum reclamant.

Diſſertatio IV.

DE

JUDICIO PARTICULARI.

Evicta non quidem evidentibus, attamen fortiter ſuadentibus rationum momentis rationalis animæ immortalitate, cui in altero ſæculo vel pœnas inflgi, vel præmia tribui pariter probatum eſt, differam de *judicio particulari*, quod quidam primis Eccleſiæ ſæculis in egreſſu animæ à cor-

corpore repudiantes, divinam sententiam de præmio innocentibus largiendo usque ad diem generalis judicii suspendendam prædicarunt.

QUÆSTIO I.

An credibile sit judicium particulare? quando, & ubi exerceatur? quis in eo judex?

ARTICULUS I.

Extat sufficiens fundamentum credendi ejusmodi judicium particulare.

Veritatem enim ejus promulgat D. Paulus ad Heb. 9. ℣. 27. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Quæ verba exponit Ambrosius: *Post mortem judicabitur unusquisque juxta merita sua; fidei enim est, justos, in quibus nihil purgandum, statim recipere præmium: animas vero damnatorum etiam statim tradi pœnis, ut constat ex historia Lazari, & Epulonis. Luc. 16.* Præmium autem, & pœna non dantur, nisi post juridicam causæ cognitionem, & justam sententiam. Hinc Ecclesiasticus c. 11. ℣. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*

- - &

. . . . *& in fine hominis denudatio operum illius.* Accedit teſtimonium S. Hieronymi in c. 2. Joël. *Quod in die judicii* (intellige univerſalis) *futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis die mortis impletur:* & S. Auguſtinus Ep. 80. ad Heſichium: *In quo quemque ſtatu invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies, quoniam qualis in die iſto quisque moritur, talis in die illo judicabitur;* unde infert: *ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum eum inveniat adventus Domini: imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit ſuæ vitæ hujus ultimus dies.*

Imo judicium aliquod poſt hanc vitam futurum naturalis iterum ſuadet ratio; homo enim, ſi naturæ vocem, & rationis dictamina audiat, non poteſt non intelligere, ſe à Deo legibus gubernari, quibus præmia, atque ſupplicia reſpondere debeant; clare autem cognoſcit, non ita bona in hac mortali vita diſtribui, ut virtutes præmio compenſentur, ac vitia puniantur ſupplicio: cum ſceleſtos plerumque homines videat bonis abundare, ac voluptatibus, repreſſo etiam quandoque interno conſcientiæ ſtimulo, liberrime frui; juſtos vero miſeros, ac paſſim eorum miſeriam improborum malitia auctam: ex quo, cognoſcat, neceſſe eſt, futuram ſu-

pereſſe vitam, in qua homo Supremo Gubernatori rationem reddat ſuorum operum; & in qua præmia, atque ſupplicia Divinæ Sapientiæ legibus reſpondentia diſtribuantur, cum hac ſublata ſupremum morale Dei in homines imperium Divinæ Sapientiæ, atque Juſtitiæ nullo modo reſpondeat. Præterea omnes cognitæ gentes etiam extra ſocietatem civilem poſitæ, atque ſilveſtres futurum hominis ſtatum agnoverunt, & crediderunt ſemper, in quo juſtis præmia, improbis vero ſupplicia à Supremo Rectore tribuenda ſunt, ut ex indubiis monumentis à Cl. Patuzzi demonſtratur c. 9. *de futuro impiorum ſtatu*: Communis autem hominum perſuaſio non aliunde, quam à natura oriri poteſt. Mitto conſcientiæ laniatus, qui ex metu futuri Dei judicii improbos homines excruciant.

ARTICULUS II.

Judicium particulare ſubit anima in primo à corpore egreſſu

In primo nempe inſtanti extrinſeco vitæ: ubi verum eſt dicere: *Jam non eſt homo, qui immediate antea fuit;* ita tamen, ut necdum ſit in Cœlo, Purgatorio, aut Inferno; ne-

neque notabilis temporis mora ad hoc requiritur: facile enim Christus hoc judicium in instanti expedire potest, quamvis postea brevis aliqua intercurrat mora in motu locali animæ jam sententiatæ ad locum præmii, vel supplicii.

ARTICULUS III.

Locus, in quo animæ processus per judicium particulare absolvitur, est ille idem, in quo homo moriens decedit

NEque enim necessarium est, ut anima deferatur in Cœlum, aut Christus ad illam descendat, sed sufficit, ut eo ipso loco, in quo homo decedit, anima elevetur ad intellectualiter percipiendam causam suam, & sententiam Judicis via simplicis cognitionis, & repræsentationis objectivæ intellectualis, nam secus Christus continuo cœlum deserere, & ad diversa loca replicari deberet: & hoc est sisti illius Tribunali absque locali mutatione. Totus igitur animæ processus finitur per spiritualem, & intellectualem locutionem, qua animæ manifestantur omnia sua delicta, & merita, locusque præmii, vel supplicii decernitur.

ARTICULUS IV.

Hoc particulare judicium exercetur per Christum DEUM hominem

QUamvis enim ante Incarnationem Verbi in hoc tremendo Tribunali Judex fuerit solus Deus, & in Incarnatione Christus statim in primo instanti acquisiverit omnem potestatem judiciariam veluti unioni hypostaticæ annexam, ea tamen uti noluit, usque dum post suam Resurrectionem in statu glorioso esset constitutus, & omnem potestatem in Cœlo, & in terra accepisset, quia in carne passibili non venerat judicare, sed judicari; idcirco dixit adulteræ ad se adductæ, ut in eam sententiam ferret juxta legem: *Nemo te condemnavit... nec ego te condemnabo.* Joa. 8. ℣. 10. & 11. Jam autem à Resurrectione Christus Deus-Homo judicat omnes homines, cum ipsi sit *Data omnis potestas in cœlo, & in terra.* Matth. 28. ℣. 18.

QUÆSTIO II.

Quæ pœnæ animæ cum sola Adamitica culpa decedenti in judicio particulari decernantur?

ARTICULUS I.

Abortivi, aliique hominum fœtus in utero matris extincti, antequam nascerentur, & baptizarentur, propter insitam originalem labem visione beata, & amore fruitivo in æternum privandi sunt

NIhil enim coinquinatum potest intrare beatitudinem, quæ in tali visione, & amore consistit. Gravissimus de hoc est Christi Domini sensus Joan. c. 3. ℣. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

Prædicti tamen parvuli non habebunt tristitiam saltem gravem ob privationem beatificæ visionis, adeoque nec sentient pœnam damni positivam, ait enim D. Augustinus in Enchirid. c. 39. *Pœna parvulorum ejusmodi est mitissima, licet in se esset maxima.* Quis autem sibi persuadeat privationem beatæ visionis fore pœnam mitissimam, si inde parvuli gravem conciperent tristitiam? deinde si parvuli pœnam sensus non sentiunt, ut paulo post dicam, minus sentiunt gravem tristitiam ob denegatam visionem beatificam, cum tristitia ejusmodi, ceu damni pœna longe sit gravior, quam pœna sensûs quæcunque. Item tristitia præsupponit nolitionem, sed

privatio hæc non est nolita illis parvulis, alias remurmurarent contra divinam dispositionem, & haberent voluntatem inordinatam, sicque peccarent, quod est absurdum: imo damnatum in propositione Baji sequentis tenoris: *Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecuturus erat, actu Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Dei legi repugnet.* Ex quo etiam consequitur voluntatem talis parvuli nunquam actualiter per actum malum positivum à Deo avertendam, quamvis habitualiter aversa sit propter labem habitualem originalis peccati.

ARTICULUS II.

Parvuli in peccato originali morientes non sunt ad pœnam sensûs damnandi.

DOcetur quidem à Norisio, & omnibus fere Augustinianis Theologis, à Pontio ê Franciscanis, & doctissimo Petavio ex Jesuitis, ac aliis bene multis illustribus viris parvulos sola Adami labe infectos pœna quoque sensûs, & ignis puniendos, sed veriorem reor sententiam Scoti 2. dist. 33. q. un. in ejusmodi parvulis solam *damni* pœnam agnoscentis. Cui concordat S. Bonaventura

tura in 2. dist. 33. q. 1. ubi exposita sententia contraria ita loquitur: *Sed cum valde durum illud dicere videatur, quod Deus tam dure, & tam aspere agat cum parvulis sic decedentibus, qui omnino non potuerunt vitare nec mortem culpæ, nec mortem naturæ, præsertim cum videamus Deum cum iniquissimis, & sceleratissimis peccatoribus in multis misericorditer agere, ideo est alia positio mitior, quæ magis concordat pietati, fidei, & judicio rationis, quod, quia parvuli cum originali decedentes, cum originali carent justitia, & gratia, privantur in æternum Dei visione; quia verò in carne fuit fœditas, ideo ponentur in loco vili, utpote infernali; sed* (NB.) *quia in se non habuerunt delectationem actualem peccati, ideo non sentient pœnæ ignis acerbitatem* Deinde pœna sensus respondet delectationi in peccato habitæ: *Quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Apocal. c. 18. v. 7. parvuli autem nullam habuerunt delectationem, dum in Adamo peccaverunt.

Nota opinionem esse levissimam, parvulos sine baptismo mortuos post diem judicii fruituros hoc orbe terrarum: istud enim communiter negant Theologi, qua etiam de re doctissime, ut solet, & eleganter Bellarminus adversus Catherinum, & Pighium disputavit. Verosimillimum au-

tem est, eos inquilinos inferni futuros, ac dempta beatificæ visionis privatione, nihil aliud perpessuros, ut partim ex dictis, partim adhuc dicendis satis constare potest.

QUÆSTIO III.

Utrum animæ justorum, quibus nihil luendum supereſt, statim post particulare judicium cœlesti beatitudine perfruantur? cujus circa hoc sensus fuerit Joannes XXII. & Benedictus XII.?

ARTICULUS I.

Animabus Sanctorum simul, ac corporibus suis exutæ, & plene purgatæ sunt, etiam ante Universale Judicium gloria confertur

TEste Psalmographo: *Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini.* Psal. 126. ℣. 3. qui Psalmus prophetice loquitur de statu Ecclesiæ, & de justis post mortem Christi vitam suam finituris. Ex Glossario autem Patrum *Dormire est corporalem mortem subire.* Item: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo*

Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. 2. ad Corinth. c. 5. ℣. 1. ubi per terreſtrem domum D. Paulus intelligit corpus humanum, & per domum non manufactam, & æternam, intelligit beatitudinem cœleſtem, quam nos mox poſt diſſolutionem terreſtris domus noſtræ ſpondet habituros, nec enim inter utramque medium aliquod ſtatuit tempus, ſi nempe nullus culpæ, aut pœnæ reatus obſtet. Demum latroni de cruce ſupplicanti: *Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. ℣. 42. reſpondit Servator: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* h. e. potieris viſione beatifica, neque enim hic loci nomine Paradiſi deſignari poteſt Paradiſus terreſtris, in quo Chriſtus non fuit, nec Cœlum Empyreum, ad quod ea ipſa die Chriſtus non aſcendit. Idipſum definivit A. C. 1439. Concilium Generale Florentinum conſentientibus Græcis, & Latinis. *Definimus . . . . illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illos etiam, qui poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clare Deum Trinum, & Unum ſicuti eſt.*

ARTICULUS II.

Joannes XXII. Romanus Pontifex eorum non adhæsit errori, qui animas justorum non nisi post Extremum Judicium beatitudine donandas arbitrarentur.

I. Patet authoritate Doctorum Parisiensium, qui eodem anno, quo illam opinionem erroneam damnarunt, palam professi sunt, eam sententiam à Pontifice productam esse, non quod veram crederet, sed solum indagandæ veritatis gratia, præcisis his verbis: *Advertentesque, quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quid in hac materia Sua Sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando protulit, sed solummodo recitando.* Ita Spondanus ad annum 1334. Hist. Universal. Paris. ad eumdem annum. Natalis Alexander Sæcul. 14. diss. 11. a. 2. Juven. dist. 4. c. 2. & Cardinal. Petra in Constit. 4. Benedicti XII. n. 2.

II. Ex verbis ipsiusmet Pontificis in Epist. ad Philipp. Vales. Regem: *Adhuc in iisdem literis regiis vidimus contineri, quod à pluribus dicebatur, quod nos miseramus Geraldum Generalem Minorum Parisios ad docendum, & prædicandum, quod animæ separatæ à corpore, & à pœnis purgatæ Divinam Essen-*

ſentiam uſque poſt reſurrectionem corporum non videbunt; ad quod dicimus, & aſſerimus coram Deo, quod nunquam hoc cor noſtrum intravit, nec exivit ab ore. Sic Wadingus in Regeſt. ad annum 1333. Cardinal. Petra loc. cit. n. 13. Et hanc fuiſſe ſuam mentem clarius conſtat ex aliis ipſius Pontificis verbis in epiſtola relata à Guarnieri lib. 2. de Eccleſia militante c. 22. n. 130. *Ecce!* (ait Pontifex) *Ecce, quod noſtram intentionem, quam circa ſtatum animarum habemus, & habuimus, ſerie præſentium declaramus: fatemur ſiquidem, & credimus, quod animæ purgatæ ſeparatæ à corporibus ſint in Cœlo, Cœlorum Regno, & Paradiſo cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ, & vident Deum facie ad faciem, & Divinam Eſſentiam clare, in quantum conditio, & ſtatus patitur animæ ſeparatæ.* Joannes Villanus lib. 11. Hiſt. c. 9. dicit ſe intellexiſſe ex fratre ſuo, qui in Palatio ipſius Joannis XXII. commorabatur, ipſum Pontificem die 3. Decembris A. C. 1334. palam profeſſum fuiſſe hanc ſententiam ſe habere, & antehac ſe habuiſſe.

III. Ex Bulla Canonizationis S. Ludovici Epiſcopi Toloſani incip. *Sol oriens.* in qua §. 18. ita habet: *Tandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia medio domus ſuæ ad Deum ſuum*

con-

contemplandum in gaudio facie revelata in sua innocentia est ingressus. Similiter loquitur in Bulla Canonizationis S. Thomæ de Aquino incip. *Redemptionem*, in qua apertissime profitetur: *Cœlum credentibus, & humilibus patere, à Christo in cœlos ascendente reseratam dudum clausam in se credentibus januam Paradisi.* Ipsum S. Thomam, *Devicto, triumphatoque mundo in perpetuas æternitates receptum in patria, ejus animam Cœlum possidere.* Pariformiter quoque fatur in Bulla Canonizationis S. Thomæ Herfordiensis Episcopi incip. *Unigenitus.* Ex quibus omnibus clarissime patet Joannem XXII. nunquam sensisse Sanctorum beatitudinem ad extremum usque Judicii diem prorogandam.

ARTICULUS III.

Benedictus XII. Joannis XXII. immediatus Successor in sua Constit. incip. Benedictus Deus *definivit dogmatice purgatis justorum animabus gloriam in diem Judicii non differri.*

AUdi altefati Pontificis in cit. Constit. verba: *Definimus, quod secundum communem Dei ordinationem animæ Sanctorum omnium mox post mortem suam, & purgatio-*

tionem præfatam in illis, qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resurrectionem suorum corporum, & Judicium generale post Assumptionem D. N. J. Christi in Cœlum fuerunt, sunt, & erunt in Cœlo, Cœlorum Regno, & Paradiso cœlesti cum Christo, Sanctorum Angelorum consortio aggregatæ, & post Jesu Christi passionem, & mortem viderunt, & vident, & videbunt Divinam Essentiam immediate, se bene, & clare, & aperte illis ostendentem, & quod nihilominus in die judicii omnes homines ante Tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt reddituri de factis propriis rationem, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

Quod autem hoc non determinaverit Joannes XXII. est; quia, cum ad decisionem se præpararet, fuit morte præventus, ut testatur idem Benedictus XII. in cit. Constit. *Benedictus Deus* his terminis: *Cumque idem Prædecessor Noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem se pararet, tamen morte præventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit.*

Disser-

Dissertatio V.

DE

RESURRECTIONE MORTUORUM.

POsteaquam corpus ceciderit, & contabuerit, resurget iterum in novissimo die, ac animæ, quæ mortua nunquam fuit, reunietur juxta illud Joan. c. 5. ℣. 28. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent.* Hæc est fides nostra, quam Razias 2. Machab. 14. stans super grandem petram, & jam exanguis effectus, complexus intestina sua utraque manu projiciens super turbas confessus est, invocans Dominatorem vitæ, ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet, atque ita vita functus est.

QUÆSTIO I.

An possibilis, & futura sit mortuorum resurrectio? an ea naturaliter demonstrari, vel saltem suaderi aliquo modo possit?

AR-

ARTICULUS I.

Mortuorum resurrectio est possibilis.

UT enim mortui resurgant, nec ex parte Dei, nec ex parte creaturæ renovandæ repugnat. Prius constat ex Matth. c. 19. ℣. 26. *Apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Et Psal. 113. ℣. 11. *Quæcunque voluit, fecit*, illa nempe, quæ ex se non involvunt contradictionem. Posterius vero patet ex D. Augustino lib. 22. de Civ. Dei c. 20. ubi de carne hominis in resurrectione reddenda loquens ait: *Etsi omnibus periisset modis, nec ulla ejus materia in ullis naturæ latebris mansisset, tamen si vellet, eam repararet Omnipotens.* Item serm. 64. de verbis Domini: *Si enim Deus fecit hominem, qui non erat, nonne & reparare potest, quod erat?* Et c. 11. *Mirabilius aliquid fecit Deus, quando fecit, quod non erat, & tamen fecit, quod non erat: & non creditur reparaturus, quod erat, ab ipsis, quos fecit, quod non erant.* Demum Tertul. lib. de resurrect. carnis c. 11. inquit: *Utique idoneus est reficere, qui fecit, quantò plus est fecisse, quam refecisse, initium dedisse, quam reddidisse.* Deinde supponatur res creata per annihilationem destructa, hoc casu nihilum illud, quod præexistentem creaturam est

secu-

secutum, est prorsus ejusdem rationis cum nihilo illo, quod habuit creatura, priusquam existeret, in utraque enim actione terminus *à quo* est nihil rei, & terminus *ad quem* est eadem res negata per idem nihilum, mereque per accidens se habet, quod res negata per posterius nihilum connotet rem aliquando extitisse; atqui rei sub primo nihilo existenti non repugnabat creatio, & eductio ex nihilo illo: igitur nec reproductio repugnabit ipsi secundo nihilo involutæ.

ARTICULUS II.

Mortuorum resurrectio ratione naturali ostendi non potest.

QUis fide destitutus capiat, contingere posse, ut corpus mortuum in cineres redactum, à feris laniatum, undis submersum, & quandoque ab antropophagis comestum ita recolligatur, ut omnibus suis vestitum membris, ac partibus, revertente pristina anima reviviscat, fiatque individuus ille homo, qui antea erat? unde etsi Apostoli ante Resurrectionem Christi aliquam de mortuorum resurrectione fidem haberent, miram tamen hanc rem, & creditu difficilem per id declararunt, quod ea,

ea, quæ à mulieribus de Christi Resurrectione dicebantur, ut deliramenta sint arbitrati, eumque ut præsentem videntes, spiritum, aut phantasma esse, non verum hominem reputarint. Hinc etiam Act. c. 17. prædicante Paulo resurrectionem mortuorum Athenis in Areopago dixerunt Philosophi, alias perspicaciſſimi, præcipue Epicuri, & Stoici: *Quid vult ſeminiverbius hic dicere?* Alii verò: *Novorum Dæmoniorum videtur annunciator eſſe.* Certe corpus, quia corruptibile, destructionis, non reparationis est radix: & anima, quia spiritualis, in objecta spiritualia tendere potest, & modo inorganico operari, minime verò ex ejusdem spiritualitate valet inferri, hominem semel destructum denuo debere reparari. Ubi ergo principia, ex quibus resurrectionis futuritio naturali ratione evidenter deducatur?

Inquiunt: Tale principium esse animæ immortalitatem; quia pars separata à toto est imperfecta, neque enim conveniens est, ut forma tam nobilis perpetuo remaneat in potentia, & separata à toto. Deinde; quia separatio animæ à corpore est violenta, nullum autem violentum ex Aristotele lib. de Cœl. & Mund. textu 17. est perpetuum.

Repono. Me his rationibus non moveri: non prima; quia illa pars separata à toto imperfecta est, quæ perfectionem aliquam recipit à toto, non sic est de anima, quæ perfectionem communicat corpori, nullam vero recipit ab eo, nihil igitur prima concludit ratio. Sed neque secunda, cum enim ex dictis anima nullam accipiat perfectionem à corpore, sed potius ipsa illud perficiat, verificatur de corpore, quod naturaliter ad acquirendam perfectionem inclinet, minime vero quod ad communicandam animæ perfectionem necessario propendeat; unde nec ex illo evidenter concludi potest iterata animæ cum corpore unio. Suaderi nihilominus ex his fundamentis valet animæ cum corpore reunitio, ut postea clarebit.

ARTICULUS III.

Mortuorum resurrectio est aliquando futura.

ID, quod his illustrioribus Sacræ Scripturæ testimoniis indubitatum redditur. Job. c. 19. ℣. 25. *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* ℣. 26. *Rursum circumdabor pel-*

pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Daniel. c. 12. ℣. 2. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.* Accedunt ex Veteri, & Novo Testamento eorum exempla, qui virtute divina ad vitam fuere revocati: Filius mulieris Sareptanæ per Eliam 3. Reg. c. 17. ℣. 23. Sunamitidis per Elisæum 4. Reg. c. 4. ℣. 35. & alius solo ossium Elisæi contactu c. 13. ℣. 21. Filia Jairi à Christo Marc. c. 5. ℣. 42. Filius viduæ Naimi Luc. c. 7. ℣. 15. Lazarus Joan. c. 11. ℣. 44. Tabitha à Petro Act. c. 9. ℣. 40. Alius Adolescens à Paulo Act. c. 20. ℣. 9. Item: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Math. c. 27. ℣. 52. Ut autem hos à morte excitatos credimus, ita universos ad vitam revocatum iri, credendum est ex illo Joan. c. 5. ℣. 28. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent.*

Petes. Quomodo ergo Christus *Primogenitus ex mortuis* ad Coloss. 1. ℣. 18. *Primogenitus mortuorum.* Apoc. 1. ℣. 5. *Primitiæ dormientium.* 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 20. dicatur, cum constet ex præceden-

tis quæsiti resolutione plures ante ipsum fuisse resuscitatos?

℟. Ejusmodi appellationes in perfecta illa resurrectione fundari, qua ad immortalem vitam, omni prorsus moriendi necessitate sublata excitamur. Hoc in genere Redemptor primum obtinet locum, qui subacta, & oppressa morte ita resurrexit, ut mori amplius non posset, quod apertissimo illo testimonio ad Rom. 6. ℣. 9. comprobatur: *Christus resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Si vero de imperfecta resurrectione sit sermo, hoc est, de reditu ad vitam, cui iterum moriendi necessitas adjuncta est, ante Christum plures fuere resuscitati, qui tamen omnes ea revixere conditione, ut eis iterum esset moriendum.

ARTICULUS IV.

Proferuntur momenta, quibus futuritio resurrectionis suadetur.

I. QUia anima est immortalis ad corpus, tanquam suam compartem propensionem habens: jungetur ergo iterum aliquando cum corpore, neque semper extra id victura est. Hoc argumentandi genere Matth. c. 22. ℣. 32. usus est Salvator ipse

ipse, cum adversus Sadducæos disputaret, & ex animarum immortalitate corporum resurrectionem concluderet.

II. Liquet ex cooperatione corporis cum anima: *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 32. q. d. quid prodest etiam corpore laborare pro virtute, si merces resurrectionis corpori laboranti non datur? quæ foret justitia, si duo laborarent, & unus tantum laboris præmium ferret? Quare idem Apostolus, cum de resurrectione differeret 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 19. inquit: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, quæ verba ad animæ non referuntur miseriam, quæ cum immortalis sit, in vita futura perfrui beatitudine posset, quamquam corpora non resurgerent, totum ergo hominem tangunt, nisi enim corpori debita pro laboribus præmia reddantur, necesse est, ut omnium sint miserrimi, qui cum Apostolis tot ærumnas, & calamitates toleraverunt. Idem verò multo apertius docet 2. ad Tessal. c. 1. ℣. 4. *Gloriamur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in Regno Dei, pro quo & patimini: Si*

tamen justum est apud Deum tribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini JEsu de Cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri JESU Christi.

III. Ex resurrectione Christi format argumentum D. Paulus 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 12. Una enim ex causis, cur ad nos redimendos mortuus sit, erat, ut resurgere posset, & sua resurrectione nostram comprobaret; neque debuit Adam esse potentior ad nos prosternendos, & mortificandos, quam Christus ad erigendos, & vivificandos. Majus est donum Christi, quam nocumentum Adæ: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Ad Rom. c. 5. ℣. 20. Sed peccatum Adæ omnes occidit: ergo gratia Christi omnes suscitabit. Decet item membra esse conformia capiti, caput autem nostrum Christus resurrexit: resurgemus ergo & nos membra ejus.

AR-

ARTICULUS V.

Specificantur similitudines, quibus veritas resurrectionis stabilitur.

PRima similitudo depromitur ex D. Paulo 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 36. ubi quærenti, quomodo resurgent mortui, sic respondet: *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult.* Et paulo post inquit ℣. 42. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Ad hanc similitudinem multas alias adjungi posse ostendit S. Gregorius lib. 14. Moral. c. 28. 29. & 30. *Lux enim* (inquit) *quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, & rursum, quasi resurgendo revocatur, & arbusta viriditatem amittunt, & rursus quasi resurgendo reparantur: & semina putrescendo moriuntur, & rursum germinando resurgunt.*

QUÆSTIO II.

Cujus virtute sint homines resurrecturi?

℟. NUlli hominum esse concessum, ut se ipsum à morte ad vitam posset re-

vocare: *Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos.* 2. ad Corinth. c. 1. ℣. 9. Unde S. Ambrosius lib. 4. in Lucam c. 4. concludit: *Liberare à Dæmone & homines, sed in verbo Dei possunt, resurrectionem mortuorum imperare Divinæ solius est potestatis.* Soli ergo Deo est reservatum semel amissam denuo restituere vitam, id quod clarissime ex illis Apostoli verbis 2. ad Corinth. c. 19. ℣. 9. de Christo loquentis intelligimus: *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei:* quæ cum neque à Servatoris corpore in sepulchro, neque ab anima, cum ad Inferos descendisset, sejuncta unquam fuit, divina vis tum corpori inerat, qua animæ iterum conjungi, tum animæ inerat, qua ad corpus denuo reverti posset, qua & licuit sua virtute revivisscere, atque à mortuis resurgere. Id David Ps. 97. ℣. 2. spiritu prædixit prophetico: *Salvavit sibi dextra ejus, & brachium sanctum ejus.* Deinde ipse Dominus Divino oris sui testimonio confirmavit Joan. 10. ℣. 17. *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Judæos etiam ad roborandam doctrinæ veritatem provocavit dicens: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joan. 2.

℣. 19.

℣. 19. Quod etsi de templo illo Jerosolymitano magnifice ex lapidibus constructo ipsi intelligerent, ille tamen, ut Scripturæ verbis eodem loco declaratum est, dicebat de templo corporis sui. Quamvis autem in Scripturis interdum legamus Act. 2. & 3. ℣. 24. Et ad Rom. c. 8. ℣. 11. Christum Dominum à Patre suscitatum esse, hoc ad eum ut ad hominem referendum est: quemadmodum illa rursus ad eundem ut Deum spectant, quibus significatur, eum sua virtute resurrexisse.

Petes: Cur sancti Apostoli resurrectionem hominum in suo symbolo carnis resurrectionem appellarint?

℟. Id duabus potissimum de causis accidisse. I. Ut hæresis illa confutaretur, quæ vivente adhuc D. Paulo 2. ad Timoth. c. 2. ℣. 17. & 18. Himenæi, & Phileti fuit. Asserebant isti, cum de resurrectione in Scripturis Sacris ageretur, non de corporea, sed de spirituali, qua à morte peccati ad vitam innocentem resurgitur, accipiendum esse, unde To *carnis* posuere Apostoli, ut error nominatorum Hæreticorum tolleretur, & vera corporis resurrectio confirmaretur. II. Ne quis forte animam simul cum corpore interiisse, & utrumque in vitam revocari existimaret, cum enim animam ex pluribus Sacræ Scripturæ locis immortalem es-

se omnino constet, idcirco in Apostolico symbolo solius carnis suscitandæ facta est mentio, & quamquam sæpe etiam in Scripturis Sacris *caro* integrum hominem, ut est apud Isai. c. 42. ℣. 6. *Omnis caro fœnum*: & apud S. Joannem c. 1. ℣. 14. *Verbum caro factum est*, significet: hoc tamen loco vocabulum *carnis* corpus designat, ut duarum partium animæ, & corporis, quibus homo constat, alteram tantum, nempe corpus corrumpi, & in pulverem terræ, ex qua compactum est, redire, animam vero incorruptam manere intelligamus.

QUÆSTIO III.

Qui fuerint illi, quorum sepulchra moriente Christo recluſa fuere, ipsique mortui post ejusdem resurrectionem revixere conformiter ad id, quod tradit S. Evangelista Matthæus c. 27. ℣. 52. *Monumenta* (in morte Christi) *aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis?* An hi denuo obierint? & ubi 40. dies usque ad Ascensionem Domini exegerint?

℟. Ad I. A quibusdam existimari, eos tunc ad vitam rediisse, qui multo antea tempore erant mortui, & ita omnium diutissime in sinu Abrahæ fuerant detenti: tales erant Adam, Abel, Mathusalem, Lamech, Nöe, Sem, Abraham, Jacob, Joseph, Moyses, Josue, David, aliique veteres multi. Verum isthæc opinio non facile probanda est, cum non per totum mundum, sed Jerosolymis dumtaxat, aliisque circumjacentibus locis aperta fuerint monumenta, nec alii revixerint, nisi quorum sepulchra fuerunt aperta: neque verosimile est, Antediluvianos Patres, qui ante Abrahamum vixerunt, omnes esse in Palæstina mortuos, & sepultos.

Alii putant eos revixisse, qui Judæis tum viventibus erant noti, ejusmodi fuerunt Zacharias Pater Joannis Baptistæ, senex Simeon, ipseque Baptista Præcursor Domini, & Bonus Latro. Aliis videtur credibile eos à mortuis esse suscitatos, qui in suis quisque Prophetiis Nativitatem Christi, Vitam, Mortem, & Reditum ad vitam prædixerant, hi erant Moyses, David, Samuel, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Melchisedech, qui Sacerdotii Christi imaginem gessit, & Daniel, qui tam accurate tempus, quo Christus venturus erat, prophetavit,

Job,

Job, Jonas, & tres Pueri, qui è fornace Babylonica incolumes erepti Resurrectionis Christi fuerunt quodammodo typi. Cum autem sacer textus nihil ultra indicet, quam quod *Multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, satis apparet, nihil hac de re tuto affirmari posse.

℟. ad II. Veriorem esse sententiam eos rursus obiisse, ut contigit Lazaro. Ratio est I. Quia Petrus Act. c. 2. monet, nec posse, nec debere in illo loco Psal. 15. ℣. 10. Davidem intelligi: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, eam afferendo rationem: *Quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernam diem.* Nihil autem hæc evinceret ratio, nisi corpus David etiam tum jaceret in sepulchro, quisque enim respondere posset, Psalmum de Davide esse intelligendum, qui cum suo quoque corpore in Cœlum evolasset. II. Quia Job, qui inter eos, qui non amplius morituri revixerunt, à diversæ sententiæ Patronis refertur, de se ipso dicit c. 19. ℣. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* III. Quia D. Paulus ad Hebræos c. 11. ℣. 39. generatim de justis in Veteri Testamento loquens ait, non priusquam reliqua omnis Ecclesia, plenam asse-

assecuturos felicitatem, quæ in animæ, & corporis gloria sita est: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consumarentur.* Quod minime videtur fuisse dicturus, si Sancti, qui Christo revivisscente, redierunt ad vitam, immortalitatem consecuti una cum corporibus in Cœlum cum Christo ascendissent. IV. Quia communis Catholicorum est sententia, solum Christum Jesum, Beatissimamque Virginem Ejus Matrem in Cœlum Corpore, & Anima evolasse. V. Quia licet D. Thomas in 4. sentent. dist. 43. q. 1. a. 3. q. 1. *ad tertium* secutus Hyeronymum in c. 27. Matth. videatur eorum suffragari sententiæ, qui contendunt, Patres revixisse non amplius morituros; attamen in 3. p. Summæ q. 53. a. 3. *ad secundum* Epistolam D. Augustini expendens 99. nunc 164. ad Evodium c. 2. in eorum videtur esse opinionem propensior, qui censent, Sanctos, qui revixerunt, rursus è vita excessisse. Tillemontius nota 36. in Vitam Jesu Christi hanc affirmat Patrum communem esse sententiam. Eandem acriter etiam propugnat Calmetus in sua dissertatione, quam de hac re edidit. Nullius est momenti id, quod à quibusdam objicitur, iis nempe minus grave fuisse futurum non redire ad vitam, quam revivi-

scere,

scere, & iterum mortem subire; nihil enim justis gratius est, & acceptius, quam divinam sequi voluntatem.

Inquiunt cum Cornelio à Lapide, & Maldonato: Matthæus Evangelista refert, eos, qui revixerunt multis sese conspiciendos exhibuisse, ac propterea non ab omnibus fuisse visos, ex quo infertur, non eodem modo, quo Lazarus, fuisse è tumulis suscitatos, sed ad vitam cum corpore glorioso rediisse, nihilque esse, cur dicamus, eos revixisse rursus morituros, sed una cum Christo simul cum corpore in Cœlum ascendisse.

Repono: Allegatam Maldonati rationem id revincere, quod suscitatorum Sanctorum corpora singulari quodam Dei beneficio fuerint quibusdam corporum glorificatorum dotibus prædita, inter quas illa etiam est censenda, ut non omnibus essent conspicua. At non probat ejusmodi dotem in iis corporibus fuisse per modum habitus permanentis, sed dici potest, fuisse per modum qualitatis transeuntis, quæ mortem alteram non excluderet. En Moyses, qui Christi interfuit transfigurationi, suscitatus ad vitam aliquantisper vixit, nec omnibus tamen se præbuit conspicuum. Quis tamen unquam asseruit, ejus corpus

ab

ab eo tempore fuisse glorioſum, nec poſtea rediiſſe ad ſepulchrum?

℟. ad III. Id incompertum eſſe; Matthæus enim c. 27. ſcribit quidem, eos Sanctos veniſſe in ſanctam Civitatem, & multis apparuiſſe, ſed ubi per tempus, quo ad vitam revocati viverent, & nemini eſſent conſpicui, permanſiſſent, tacet Evangeliſta. D. Thomas in 3. ſent. diſt. 22. q. 3. a. 2. in fine probabile putat, eos in Terreſtri Paradiſo commoratos. Suarez tom. 2. in 3. p. q. 55. a. 3. in Commentariis, id dubium eſſe prudenter animadvertit, ſiquidem ad hanc rem certo ſtatuendam oporteret certo decernere, ubi terrarum fuerit Terreſtris Paradiſus, quanto tempore permanſerit; quam tamen quæſtionem ait Calmetus in c. 2. Geneſeos n. 4. ejuſmodi eſſe, ut vix alia reperiatur, de qua ſciſſa ſint in tam varias ſententias doctorum Virorum ingenia.

QUÆSTIO IV.

In qua ætate ſint omnes homines reſurrecturi?

℟. Omnes reſurrecturos in ætate juvenili triginta trium annorum, quæ eſt ætas plena, & perfecta, in qua Chriſtus ſecundum

dum communiorem passus est, & Adamum Judæi conditum autumant: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* ad Ephes. c. 4. ℣. 13. Consentiunt Magister *lib. 4. sentent. dist. 44. in principio.* D. Hieronymus *in Epist. 27. ad Eustochium, ac* S. Augustinus *Lib. 22. de Civ. Dei c. 15.* ubi etiam in cit. Apostoli verba scribens ait: *Non dixit Apostolus in mensuram corporis, vel staturæ; sed in mensuram ætatis, quia unusquisque recipiet mensuram sui corporis, quam habuit in juventute, etiamsi senex obiit, vel fuerat habiturus, si ante defunctus est.*

QUÆSTIO V.

Utrum omnes omnino homines non solum electi, sed etiam reprobi resurrecturi sint?

℟. Omnes fore suscitandos innuit Apostolus 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et Act. c. 24. ℣. 15. apud Felicem Præsidem se defendens idem Apostolus ait: *Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant resurrectionem futuram justorum, & iniquorum.* Omni itaque malorum, & bonorum discrimine remoto, singuli

guli resurgent à mortuis, quamquam non omnium par conditio futura sit: *Qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joann. c. 5. ℣. 29. Cum autem *Omnes* dico, tum eos comprehendo, qui adveniente judicii die mortui jam erunt, quam illos, qui tunc morientur: hanc enim opinionem, quæ asserit, omnes morituros esse, nemine dempto, per Ecclesiam probari, ipsamque sententiam veritati magis conformem, scriptum reliquit S. Hieronymus *Epist. 15. ad Mimerium, & Alexandrum*, ac S. Augustinus *lib. 20. de Civ. Dei c. 20.* Neque opponas, huic repugnare sententiæ verba Apostoli 1. ad Thessal. c. 4. ℣. 16. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra.* Siquidem S. Ambrosius in *1. Epistola ad Thess. c. 4.* verba citata explanans inquit: *In ipso raptu mors præveniet, & quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur; cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum, præsentia Domini recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non possunt.*

QUÆSTIO VI.

Utrum anima in resurrectione idem prorsus corpus, cui primitus unita erat, sit reassumptura?

℟. Illud ipsum corpus, quod uniuscujusque proprium erat, quamvis corruptum, atque in pulveres resolutum sit, denuo ad vitam revocandum, & animæ reuniendum, est doctrina Apostoli 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Perpende vocabulum *Hoc*, quod identicum corpus clare designat. Præterea de eo Job c. 19. ℣. 26. apertissime est vaticinatus: *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Idem infertur ex ipsius resurrectionis definitione, quæ teste *Damasceno lib. 4. de Orthodoxa Fide c. 28.* Est ad eum statum, unde ceciderat, revocatio. Tandem si causa finalis futuræ resurrectionis spectetur, præsens resolutio dubio subesse nequit; idcirco autem corpora suscitanda docet Apostolus 2. ad Corinth. c. 5. ℣. 10. *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum;* unde hominem cum eodem corpore, cujus opera vel Deo, vel Dœmoni servivit, resurgere oportet, ut

cum

cum eodem corpore, vel triumphi coronas, & præmia, aut pœnas, & æterna referat supplicia.

QUÆSTIO VII.

In quo sexu sit futura hominum resurrectio?

℟. Omnes cum propria, & pristina sexuum differentia resurrecturos. I. Quia *Regina Austri surget.* Luc. 11. ℣. 31. II. Quia Deus reparabit in resurrectione, quod condidit in creatione, sed Deus condidit masculum, & fœminam Gen. c. 1. ergo & fœminam reformabit in resurrectione, & ita fœminæ resurgent. III. Quia Christus Matth. 22. interrogatus à Sadducæis resurrectionem negantibus de illa muliere, quæ septem fratribus nupserat, ut quisque illorum defuncti fratris semen suscitaret, cujusnam sit futura uxor post resurrectionem, respondit: ℣. 29. *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur,* ubi *nuptias*, non *sexuum differentiam* negavit, imo eamdem asseruit, alias supervacue diceret: *Non nubent, neque nubentur.* Apertius rem tetigit S. Lucas c. 20. ℣. 35. *Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione*

ne ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores. Igitur *fœminæ* ibi erunt, quæ duci in uxores possent. Hac ratione usus est Augustinus lib. 22. de Civ. Dei c. 17. ut *fœminarum* quoque resurrectionem ostenderet. Addo Hieronymum ad rem ita loquentem: *Nemo enim dicit de lapide, & colore, & his rebus, quæ non habent membra genitalia, quod non nubent, neque nubentur, sed de his, quæ cum possunt nubere, tamen aliqua ratione non nubunt.* Et ideo concludit cit. Augustinus: *Mihi melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant.* Neque est, qui *viri* nomine & *fœminas* venire juxta usitatam Scripturæ phrasim inficietur, ut in Psal. 1. ℣. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum;* quod utique etiam *fœminis* timoratis solet convenire; unde passus ille ad Ephes. 4. ℣. 13. *Donec occurramus omnes . . . . in virum perfectum* fœminarum resurrectioni non obsistit.

QUÆSTIO VIII.

In qua integritate, & pulchritudine sint homines resurrecturi?

℟. I. Totum id eis restituendum, quod ad eorum naturæ veritatem, atque ad hominis decus, & ornamentum pertinebat. Præcla-

clarum ea de re S. Augustini testimonium legitur lib. 22. de Civ. Dei c. 19. ubi inquit: *Nihil tunc vitii in corporibus existet: si aliqui plus pinguedine obesi, & crassi extiterint, non totam corporis molem assument. sed quod illam habitudinem superabit, reputabitur superfluum: & è diverso, quæcunque vel morbus, vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute divina, ut si aliqui propter macrorem fuerint graciles; quia Christus non solum nobis corpus reparabit, sed quidquid per miseriam hujus vitæ fuerit nobis ademptum.* Item eodem lib. 22. de civ. Dei c. cit. *Non resumet homo capillos, quos habuerit, sed quos decuerit,* juxta illud Matth. c. 10. v. 30. *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, qui secundum divinam sapientiam sunt reparandi.* Et quia membra ad humanæ naturæ spectant veritatem, simul restituentur omnia; unde qui â nativitate oculis fuerant capti, vel successive ob morbum aliquem amiserunt lumina, claudi, atque omnino manci, & quibusvis membris debiles, integro, ac perfecto corpore resurgent, secus animæ desiderio, quæ ad corporis conjunctionem propensa est, minime satisfieret. Præterea satis constat resurrectionem æque, ac creationem inter præcipua Dei opera numerari: quemadmodum

ergo omnia initio creationis perfecta fuerunt, ita & in resurrectione futura sunt.

℟. II. Sanctorum Martyrum corpora integra cum vulnerum cicatricibus resurrectura sunt.

Ex S. Augustino lib. 22. de Civ. Dei c. 20. ubi ita differit: *Non erunt absque illis membris: non enim posset illa mutilatio non esse corporis vitium; alioquin qui capite truncati sunt, deberent sine capite resurgere: verumtamen exstabunt in eorumdem membrorum articulis gladii cicatrices refulgentes supra omne aurum, & lapidem pretiosum, veluti & cicatrices vulnerum Christi.*

℟. III. Etiam improborum mutilata corpora sunt resurrectura integra.

Ex eodem S. Augustino loco citato, ubi ita prosequitur: *Quod de improbis quoque verissime dicitur, etsi illorum culpa membra amputata fuerint: nam quo plura membra habebunt, tanto acerbioris doloris cruciatu conficientur: quare illa membrorum restitutio non ad illorum felicitatem, sed calamitatem, & miseriam est redundatura; cum merita non ipsis membris, sed personæ, cujus corpori conjuncta sunt, adscribantur: nam iis, qui pœnitentiam egerint, ad præmium, illis vero, qui eamdem contempserint, ad supplicium restituentur.*

Pe-

Petes. An corpora post resurrectionem sint mortalia, vel immortalia futura?

R. Corpora, quæ antecedenter mortis legibus fuerant subjecta, ad vitam resuscitata bonorum æque, ac malorum fore immortalitate donanda, id, quod insignis Christi victoria meruit, quam de morte reportavit, scriptum est enim Isaj. c. 25. ℣. 8. *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Et Oseæ c. 13. ℣. 14. *Ero mors tua, ô mors.* Quod explicans Apostolus 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 26. inquit: *Novissime autem inimica destruetur mors.* Et Apocal. c. 21. ℣. 4. legimus: *Mors ultra non erit.* Idem etiam divinæ erat consentaneum Justitiæ, ut boni beata vita perpetuo fruerentur: mali vero sempiternas luerent pœnas, quærerent mortem, & non invenirent, optarent mori, & mors fugeret ab eis. Apocal. 9. ℣. 4.

QUÆSTIO IX.

Utrum Angeli in mortuorum suscitatione quidquam sint operaturi?

℣. Mortuorum resurrectionem Angelorum ministerio instituendam revincitur ex 1. ad Thessal. c. 4. ℣. 15. *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cœlo, & mortui, qui in Christo*

sunt, resurgent primi. Igitur Archangelo Michaële, qui Princeps est Ecclesiæ, ut olim fuerat Synagogæ Daniel. 12. vel certe Gabriele, ut secundum mundo prænunciet Christi adventum, qui Sacratissimæ Virgini aliquando nunciarat primum, hac sua Tuba insonante, quasi Superioris sui imperio exciti Angeli aderunt; Tuba enim ista eis primo inclamabit inquit S. Joannes Chrysostomus: *Paratos facite omnes, adest Judex.* Et hoc est, quod ait Christus Matth. 24. ℣. 31. *Mittet* (Filius hominis non solum Archangelum, sed) *Angelos suos cum Tuba, & voce magna*; Unde Archangelo Tuba clangente, alii Angeli voce magna, lenta, & producta clamabunt: *Surgite mortui.*

Canente Archangeli Tuba colligentur per Angelos inferiores defunctorum cineres, qua dispersarum partium collatione, & compositione facta Deus iterum, sicut aliquando animam primo infudit, ita etiam tunc reinfundet, & corpori suo reuniet.

Petes. Quo loco mortui sint resurrecturi?

℟. Resurget quisque, ubi suum corpus, vel cineres erunt: inde Angeli eos rapient in vallem Josaphat juxta Jerosolymam, ubi fiet judicium, ut dicitur Joël c. 3. ℣. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam*

ducam eas in vallem Josaphat. Quod etiam significavit Christus Matth. 24. ℣. 31. *Et congregabunt* (Angeli) *electos ejus à quatuor ventis, à summis Cœlorum usque ad terminos eorum.*

Petes iterum. An suscitatio, & resurrectio mortuorum *instantanee*, vel *successive* sit peragenda?

℟. Spectata Angelica operatione interventuram in ea aliquam successionem; quia collectio cinerum præcedet corporum reformationem, corporum reformatio animæ reunionem, sub quo sensu prænunciata fuit mortuorum resurrectio Ezech. c. 31. *Accesserunt ossa ad ossa . . . . & vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant.* Prius igitur corpora reparabuntur, antequam vitæ spiritus eis reunietur, quod manifestam arguit successionem. Si vero resurrectio ad Dei referatur actionem, qua anima reformato restituetur corpori, ea continget in instanti, Causæ quippe Infinitæ, & Illimitatæ operandi modus competit perfectissimus, & instantaneus; Unde omnes resurgemus *In momento, & in ictu oculi, & in novissima tuba.* 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 51. & 52.

QUÆSTIO X.

QUid de *Tuba* illa dicendum, qua mortui ad vitam revocabuntur ?

℟. I. Per illam *Tubam* denotari reale instrumentum, ut vult S. Anselmus in Elucidario, quod emittet sensibilem clangorem, & vocem tubalem formatam ab Angelo in aëris collisione; nam Christus, D. Paulus, & Sancti Patres semper vocant *Tubam*, est que *Tuba* aptissimum instrumentum etiam Angelo, ut maxime sonoram ex aëris ad latera *Tubæ* impulsu, & collisione vocem edat. Interim tamen incertum manet, ex qua materia sit hæc *Tuba* futura, an ex argento, an ex ære, ut opinatur Franciscus Suarez, an ex nube, & meteoris, an ex alia materia magis sonora.

℟. II. Clangorem hujus *Tubæ* habiturum fines sequentes : I. Canet *Tuba*, ut omnes homines excitet à mortuis, eosque citet ad judicium, ut satis patet Joan. 5. ℣. 28. II. ut electos vocet ad solemnitatem, & epulas beatæ æternitatis instar *Tubæ*, quæ Hebræos vocabat ad festa Num. 10. ℣. 8. & 10. nam *Beati manducabunt panem in Regno Dei.* Luc. 14. ℣. 15. *Et edent, atque bibent super mensam Christi.* Luc. 22. ℣. 30. III. Ut terreat reprobos,

&

convocet creaturas ad prælium, quo *Orbis terrarum pugnabit* pro Deo *contra insensatos.* Sap. 5. ℣. 21. Ita Anselmus, erit enim quasi classicum militare.

℟. III. Hanc *Tubam* 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 52. vocari *Tubam novissimam*; quia post *Tubas* septem Angelorum, quibus ante diem judicii plagas maximas toti orbi inducent, de quibus Apocal. c. 8. & 9. hæc sequetur ultima, clamabit, & intonabit: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Dicitur Joan. c. 5. ℣. 28. *Vox Filii Dei*; quia licet ministerio Angelorum, jussu tamen Filii Dei formanda est, ab eo vim suscitandi mortuos acceptura.

Petes. Quomodo mortui sint hanc vocem audituri?

℟. *Audient*, id est, sentient vim hujus vocis: vel *audient*, id est, illi obedient resurgendo, perinde ac si audierent vocem Filii Dei, qui *Vocat ea, quæ non sunt, quasi ea, quæ sunt*, ut sit catachresis. Erit enim hæc *Tuba*, ut multi Patres docent instrumentum morale resurrectionis, per quod Christus operabitur resurrectionem: sicut verba consecrationis sunt instrumentum transubstantiationis; ut autem physica vis suscitandi mortuos huic *Tubæ* tribuatur, nec necesse, nec congruum est. Audient hanc vocem mortui, postquam resurrexerint,

cum

cum *Tuba* canet: *Surgite* ita, ut hac voce protracta, & sonante resurgentes illam adhuc audire possint, vel certe illud, quod *Tuba* subjunget: *Venite ad judicium.* Ita Franciscus Suarez 3. p. qu. 55. a. 1. Erit enim hæc *Tuba*, quasi Præco citans ad judium, unde canit Ecclesia: *Tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum, coget omnes ante thronum.*

Dissertatio VI.

DE

JUDICIO UNIVERSALI.

POst particulare judicium, de quo supra loquebar, aliud adhuc expectandum est, Universale, & extremum, cujus certitudinem non solum revelata docet religio: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 2. ad Corinth. c. 5. ℣. 10. Sed etiam recta suadet ratio contra Libertinos ejusdem futuritionem irridentes; Si enim Deus Remunerator bonorum, & Vindex malorum, & qui-

quidem ex essentiali sua perfectione justissimus est, antequam aut pœnas, aut præmia decernat, judicium utique de cujusque aut bonis, aut malis meritis instituat, necesse est, & tale quidem, quo nihil occultetur, sed toti mundo justissima ejus sententia inclaresçat ad Doctoris Subtilis mentem in 4. Dist. 47. q. 1. §. *de secundo* dicentis: *In secretis judiciis, quæ fiunt circa singulas personas, licet sit justitia, non tamen omnibus manifesta: rationabile est ergo, quod Deus habeat aliquod judicium generale, in quo manifestetur sententia, vel justitia, quam exercuit in judiciis particularibus.*

QUÆSTIO I.

Ex quibus Sacrarum Scripturarum oraculis futuritio Universalis Judicii inferatur?

PRÆNOTIO.

I. Judicium ad propositum ex Scoto in 4. dist. 47. q. 1. §. *Respondeo*: *Est completa, & authentica determinatio Christi reddendi cuique secundum opera sua.* Dicitur: *completa;* quia includit firmam determinationem intellectus, & determinationem efficacem voluntatis. Per ly. *authentica* insi-

nau-

nuatur Christum â Patre accepisse legitimam potestatem Universale Judicium exercendi juxta illud Joann. c. 5. ℣. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio.* Reliquæ particulæ denotant materiam, quæ in hoc Judicio discutietur. II. Licet pro Universalis Judicii futuritione naturales quædam (de quibus infra) stent congruentiæ, id tamen ex Doctore nostro Subtili in 4. dist. 47. q. 1. §. *De secundo dico* ex principiis naturalibus evidenter ostendi non potest; quia minus notum est Judicium Universale, quam resurrectio mortuorum; cum ergo hæc ex dictis nequeat demonstrari, consequitur multo minus evidenter demonstrari posse judicium. Nunc ad quæstionem.

℟. Universale omnium omnino hominum Judicium in fine sæculi instituendum per hæc potissimum ex Veteri, & Novo Testamento deprompta oracula manifestari: *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi, & Principibus ejus.* Isai. c. 3. ℣. 14. *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, á cujus conspectu fugit terra, & Cœlum - - - - & vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt - - - - & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris secundum opera ipsorum.* Apocal. c. 20. ℣. 11. & 12. *Dedit*

dit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos, qui in ipsis erant, & judicatum est de singulis. ibidem ℣. 13. *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis - - - tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti - - - - tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti.* Matth. c. 25. ℣. 31. & seq.

QUÆSTIO II.

Quibus de causis conveniat privato cujusvis hominis judicio Universale in fine mundi subjicere?

℟. I. Ea ratione; quia in adversis, & secundis hominum rebus, quæ promiscue nonnunquam bonis, & malis eveniunt, probandum erat, nihil non infinita Dei Sapientia, & Justitia geri, ac gubernari, par fuit non solum bonis præmia, improbis supplicia in futuro sæculo constitui; verum etiam in publico, ac generali judicio decerni, quo omnibus notiora, & illustriora fierent, atque, ut Deo Justitiæ, & Providentiæ laus ab omnibus tribueretur pro injusta illa querela, qua sancti etiam viri deplorare inter-

terdum ut homines solebant, cum improbos valentes opibus, & honoribus florentes cernerent; nam Propheta Psalmo 72. ℣. 2. inquit: *Mei pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei; quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* Et paulo post ℣. 12. *Ecce! ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias, & dixi: ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.* Necesse itaque erat extremum instituere Judicium, ut quisque videat Deum in justorum, & iniquorum gubernatione omnia rectissime disposuisse. II. Cum corpora fuerint instrumenta actionum, quas boni, & mali in præsenti vita exercuere, summe conveniebat. corporibus, unacum animabus debita æternæ gloriæ præmia, vel supplicia impertiri, quod nec satis convenienter sine generali Judicio fieri poterat. III. Quia proposito Judicio pios recreari, impios terreri oportebat, ut cognita Dei Justitia, illi non deficerent, hi à malis æterni supplicii metu, atque expectatione revocarentur; quare Dominus, & Salvator noster cum de extremo die loqueretur, declaravit futurum aliquando generale Judicium, signaque adventantis ejus temporis descripsit, ut, cum illa viderimus, finem sæculi prope esse intel-

telligamus: ac deinde in Cœlum ascendens Angelos misit, qui Apostolos ob ejus absentiam mœrentes his verbis consolarentur. Act. c. 1. ℣. 11. *Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum.*

QUÆSTIO III.

Quæ sint Remota Universalis Judicii signa?

PRÆNOTIO.

Extremi Judicii signa alia sunt *Generalia*, & *Communia*, quæ jam frequentius in Ecclesia Dei acciderunt, solumque per antonomasiam illis temporibus attribuuntur, quæ proxime Universale Judicium antecedent, talia sunt illa, quæ Matth. c. 24. ℣. 6. & 7. enarrantur: *Audituri enim estis prœlia, & seditiones, consurget gens in gentem, & regnum adversus regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca.* Alia sunt *Particularia*, & *magis propria* illis temporibus, de quibus Christus eodem capite 24. ℣. 33. *Cum videritis hæc fieri, scitote; quia prope est in januis.* Utraque iterum ad duo capita revocantur, quædam dicuntur *Remota;* quia remotiora erunt à

die judicii, & mortem Antichristi vel præcedent, vel comitabuntur: alia *Proxima*, quæ mortem Antichristi, & proxime judicium futurum indicabunt.

ARTICULUS I.

Primum Signum Remotum est

Prædicatio Evangelii per Universum Orbem.

Quia Discipulis quærentibus Matth. 24. ℣. 3. *Dic nobis - - - - quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* Respondit Salvator eodem capite ℣. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Universalem hanc Evangelii promulgationem pro legitimo approximantis Judicii signo agnoverunt etiam S. Hieronymus in 2. ad Thessal. c. 2. S. Damascenus de Fide Orthodoxa l. 4. c. 27. & S. Joannes Chrysostomus Homil. in 2. ad Thessal. c. 2. inquiens: *Ponit autem multa ipse Dominus signa adventus sui, unum quidem maximum dicens: quando prædicabitur Evangelium apud omnes gentes.* Id, quod in Epist. ad Rom. c. 10. ℣. 18. legitur: *In*

omnem

omnem terram exivit sonus eorum (Apostolorum) *& in fines orbis terræ verba eorum*, de mente Ambrosii, & Theodoreti ad Judæos per totum fere orbem dispersos referendum est, qui vel per Apostolos ipsos, vel per famam de adventu Messiæ poterant reddi certiores, hi enim soli de ejus adventu erant solliciti, eumque continuo inquirebant, non vero ad Gentiles, qui eum aliunde non curaverunt; unde fatentur Origenes, & Augustinus, nec eorum tempore Evangelium Christi ubique fuisse annunciatum.

Petes: An in illa generali prædicatione omnes sint veram fidem suscepturi?

℟. Circa hoc litem esse inter Theologos, affirmant aliqui ex eo, quia Christus Joann. 10. ℣. 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.* Alii econtra hoc negant ideo; quia Christus interrogatus ab Apostolis de die Judicii, & signis illud præcessuris non dixit: *Credetur hoc Evangelium in universo orbe:* sed *Prædicabitur.* Nec dixit: quod *Prædicabitur, ut omnes credant:* sed *In testimonium omnibus gentibus;* unde dum Joann. 10. ℣. 16. ait: *Erit unum ovile, & unus pastor*, non innuit, quod aliquando omnes Gentiles Ecclesia sit comprehensura;

sed solum, quod Evangelium per universum orbem ita sit prædicandum, ut in singulis Regionibus, & præcipuis Provinciis Ecclesia Catholica sit fundanda, quæ ubique habeat suos Christianos, suos Clericos, sua Templa, suos Sacerdotes &c. per quos Christus agnoscatur, Deoque vero sacrificetur; nam & modo totus orbis Christianus Summo Pontifici in Spiritualibus subjectus est, vereque unum ovile sub uno Pastore constituit, licet plures extra illud reperiantur.

Porro, quia jam ante multos annos ab Hispanis inventus est novus Orbis, cum scilicet Americus (â quo Americæ nomen) Vesputius, & Christophorus Columbus navigando detexerunt Indiam Occidentalem, quæ est fere dimidia pars totius Orbis, ibique passim propagetur Evangelium per omnes Provincias exceptis nonnullis Regionibus Australibus adhuc incognitis; hinc colligere possumus nos sensim appropinquare ad finem mundi: ex reliquo enim orbe nihil supereſt, quod aliquando fidem Christi non receperit; nam & in China olim fuisse Christianos, Christique Ecclesias certis testimoniis ostendit Nicolaus Trigaultius Lib. *de Fide in China propagata;* idemque probat inscriptio lapidis olim in China in-

inventa, quæ plane testatur Evangelium à Viris Apostolicis in ea prædicatum.

ARTICULUS II.

Secundum Signum Remotum est

Discessio, sive Defectio Romani Imperii.

QUia Apostolus 2. ad Thessal. c. 2. ℣. 3. nos admonet, ne ab aliquo seducamur: *Quasi instet dies Domini, quoniam nisi venerit discessio primum.* Supple: *Non veniet dies Domini.* Consule etiam S. Augustinum lib. 20. de Civ. Dei c. 19. & S. Hieronymum qui q. 11. ad Algasiam scribens profitetur: *Extremum Judicium timendum non fore, nisi venerit discessio primum, ut omnes Gentes, quæ Romano Imperio subjacent, recidant ab eo, & ni fuerit Romanum Imperium antea desolatum.*

Attamen authenticum Extremi Judicii signum non constituit quæcunque, sed totalis defectio, & cessatio Romani Imperii Sæcularis (nam adversus Spirituale, & Ecclesiasticum ne quidem tempore Antichristi *Portæ Inferi prævalebunt*) unde quamvis Imperium Romanum sæpius jam fue-

rit inclinatum, ut quando Roma capta fuit à Gothis: item, quando Imperium defecit in Occidente: item quando restaurato eodem Imperio per Carolum Magnum in Occidente, destructum fuit in Oriente, penitus tamen hucusque eversum non est, ita, ut nulla plane Provincia Imperatorem Romanum, tamquam Dominum suum recognosceret, & veneraretur.

ARTICULUS III.

Tertium Signum Remotum est

Adventus Antichristi.

QUia 2. ad Thessal. c. 2. ℣. 3. dicitur de illo: *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit* (NB.) *homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*, Judicium non fiet. In quem locum scribens Augustinus lib. 20. de Civ. Dei c. 19. inquit: *Nulli dubium est de Antichristo ista dixisse, dieque judicii; hunc enim appellat diem Domini non esse venturum, nisi ille* (Antichristus) *prior venerit, quem refugam vocat, utique à Domino Deo.*

Petes

Petes: Quis, & qualis futurus sit Antichristus?

℟. A plerisque doceri fore verum, & determinatum hominem ex Parentibus Judæis ex Tribu Dan descendentibus nascituru m, idque probant ex Prophetia Jacob Gen. 49. ℣. 17. *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita.* Ideo etiam inquiunt, in odium Antichristi Apocal. 7. inter duodecim Tribus, in quarum qualibet duodecim millia signati numerantur, omittitur Tribus Dan.

Conditio ejus ab initio vilis erit, & abjecta, dein à magicis fraudibus ampliſſima; inde enim à Daniele c. 7. vocatur Cornu parvulum, quod sensim crescet, quodque non hæreditate, sed fraude Regnum obtinebit Daniel. 11. ℣. 21. *Et stabit in loco ejus despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit Regnum in fraudulentia.*

Docebit ille Jesum non fuisse Messiam in lege promissum, nec Filium Dei, nec hominum Salvatorem, consequenter totam ejus Religionem, & Sacramenta esse vanam superstitionem, id, quod patet ex illo 1. Joan. c. 2. ℣. 22. *Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam JEsus est Christus, & hic est Antichristus.* Dein repudiato vero Messia se promissum esse Judæis persuade-

bit, ac Circumcisionem, & legem Moysis reassumendam prædicabit, ut ita Judæos sibi devinciat, prout constat ex illo Christi Joan. c. 5. ℣. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Dein pugnabit contra Reges decem, qui omnes Romani Imperii Ditiones tunc possidebunt, & debellatis tribus nempe Regibus Æthiopiæ, Lybiæ, & Ægypti, cæteri septem territi, sponte ei se subdituri sunt: *Est datum illi bellum facere . . . & vincere eos.* Apocal. c. 13. ℣. 7. Monarcha effectus legem Moysis, quinimo & naturæ legem ab iciet, & Deum verum, à quo data est, negabit: *Putabit* (ait Daniel c. 7. ℣. 25.) *quod possit mutare leges, & tempora.* Characterem suum, quasi Sectæ suæ Signum volet ab omnibus suis in fronte, aut manu gestari: *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Apocal. 13. ℣. 16. Hippolytus lib. de consummat. Sæculi. Pererius, & multi alii censent characterem fore hunc: *Nego Crucem. Nego Baptismum. Nego JEsum.* Sed Ansbertus, quem sequitur Ribera in cap. 13. Apocal. ait sibi à Deo revelatum, fore græcam lit-

litteram X *chi*, cui insertum est *Pro* hoc modo

Sedem Monarchiæ suæ figet Antichristus Jerosolymis, ibique in Templo à se instaurato sedebit, & adorabitur ut Deus: *Qui adversatur: & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita, ut in Templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* 2. ad Thessal. c. 2. ℣. 4. idq; per annos tres cum dimidio; ibique Eliam, & Henoch contra se docentes, & prædicantes, aliosque Christianos occidet: *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abyssо, faciet adversus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* Apocal. 11. ℣. 8. Corpora Eliæ, & Henoch Jerosolymis jacebunt in plateis insepulta per tres dies cum dimidio, post quos reviviscent, & resurgent Elias, & Henoch: mox audietur vox de Cœlo dicens: *Ascendite huc*; & statim illi tota urbe spectante ascendent in Cœlum: *Et audierunt vocem magnam de Cœlo dicentem eis: ascendite huc; & ascenderunt in Cœlum in nube.* Apocal. c. 11. ℣. 12. Post triginta dies Antichristus cum suo Præcursore vivus deturbabitur, & rapietur in Tartara: *Et apprehensa est bestia, & cum eo Pseudopropheta... vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Apocal. c. 19. ℣. 20.

AR-

ARTICULUS IV.

Quartum Signum Remotum est

Adventus Henoch, & Eliæ.

QUia de Henoch dicitur Eccles. c. 44. ℣. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det Gentibus pœnitentiam.* De Elia habetur Malachiæ c. 4. ℣. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis:* Eccles. c. 48. ℣. 10. *Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere Tribus Jacob.* Unde de eo cecinit Sybilla lib. 2.

Tunc quoque Cœlesti Curru devectus inibit
Terras de Cœlo Thesbites

Tum quia Apocal. c. 11. ℣. 3. & seq. refertur: *Venturos esse duos Divinos Testes saccis amictos, qui tempore Antichristi prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta habituros potestatem patrandi miracula, & postea occidendos.*

Petes. Ubi degant nunc Henoch, & Elias, unde vivant, qualem vitam agant, an sint in statu merendi?

℟. Pro-

R. Probabilius eos degere in Paradiſo, patet ex ſupra dictis, ubi ſimul beate vivunt, immunes à concupiſcentia, & noſtris ærumnis in altiſſima Dei contemplatione. Nec valet opponere *Gen. c. 9. ℣. 19. & 20. Opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo Cœlo; quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat.* Adeoque Paradiſus terreſtris aquis diluvii diſſipatus eſt, ſicque modo non amplius exſtat. Non valet inquam; quia in eodem *C. 7. Gen.* dicitur univerſos homines, aquis diluvii interiiſſe, & remanſiſſe ſolum Noë, & qui cum eo erant in Arca, & tamen nemo admittit Henoch fuiſſe in Arca recluſum, neque diluvii aquis periiſſe; adeoque ſicut in hac univerſali propoſitione: *Aquis diluvii interierunt omnes homines præter Noë, & qui cum eo erant in Arca*, excipitur Henoch, ita excipitur Paradiſi terreſtris locus ab univerſæ terræ illuvione. Tum quia valde probabile eſt, ut alibi memini, quod Paradiſus terreſtris tempore diluvii ſervatus fuerit immunis, aquis undique ad latera ſeſe attollentibus, & quaſi in murum ſolidatis, ut contigit Israëlitis in mari rubro Exod. c. 14. ℣. 22. *Et ingreſſi ſunt filii Iſraël per medium ſicci maris; erat enim aqua, quaſi murus à dextra eorum, & læva.* Ac pariter in Jordane, ut patet Joſue c. 3. & 4.

Sine

Sine cibo eos vivere censet Epiphanius hæresi 64. & Hieronymus ad Pamachium: Augustinus vero hac de re dubitat lib. de peccat. meritis, & remissione c. 3. aitque eos vel sine cibo vivere, vel certè vivere, sicut vixerat Adam in Paradiso, scilicet ex ligno vitæ, si hoc etiamnum extare supponatur; ideoque nec morbo, nec senectute deficere. Sed verius est, eos à Deo vivos, & vegetos per miraculum conservari, sicut olim conservatus fuit Moyses in monte per 40. dies, & vestes Israëlitarum in deserto.

Stante communi opinione, qua cum Gregorio Magno Homil. 29. & S. Augustino lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. sustinetur *Henoch*, & *Eliam* necdum obiisse diem suum, sed defacto versari in corpore mortali, consectarium est, eos necdum sorte Sanctorum, & Dei visione esse donatos: *Non . . . videbit me homo, & vivet.* Exod. 33. ℣. 20. Et Paulus ipse concupivit prius dissolvi, ut posset esse cum Christo. Ad Philipp. c. 1. v. 23. Nec interest, quod aliis in vita tantum charitatis officium, illis vero jamjam Apotheosis exhibeatur Triumphus: uti Ecclesia approbante, specialiter Sacrum Carmelitanum agit Institutum, nam eorum futurus gloriosus è vita exitus est revelatus, non aliorum.

Cœ-

Cæterum probabilius existimo illos solum fuisse in statu merendi usque ad illud tempus, quo translati fuere, & ad eumdem merendi statum redituros, dum ad prædicandam Catholicam veritatem denuo destinabuntur. Tempore vero intermedio in gratia confirmati per fidem solum, & cognitionem abstractivam divina contemplatione, & amore fruuntur, nec sunt in continuo somno, sed potius in continua contemplatione, & Dei amore, in spiritus, & carnis quiete occupantur, nihil tamen per ejusmodi actus merentur; quia alioquin tot annorum millibus innumera accumularent merita, ita, ut omnes Sanctos, imo fors Beatissimam Virginem meritis superarent.

QUÆSTIO IV.

Utrum S. Joannes Evangelista cum Henoch, & Elia in fine mundi contra Antichristum sit venturus?

℟. Dum Christus, ut habetur Joann. c. 21. post Resurrectionem ad mare Tiberiadis apparuit Petro, ejusque sex aliis piscantibus sociis, ipsique oves suas pascendas, & regendos fideles commisit, ac mortem Crucis prædixit, interrogatus à Petro, quid

quid de Joanne futurum esset, an moriturus nimirum esset, vel non? Respondit ei ℣. 22. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Ex hoc Christi responso deducunt multi, S. Joannem non esse mortuum, sed venturum cum Henoch, & Elia in fine mundi contra Antichristum, sed erronea est hæc opinio. I. Quia eum morte naturali mortuum passim tradunt Ecclesiæ Patres, præsertim S.S. Irenæus, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, & cum illis Beda, & alii, ex quibus docet Baronius illum obiisse A. C. 101. Clementis Pontificatus nono, & ætatis suæ 93. Obiisse inquam Ephesi, ibique sepultum, ei in Episcopatu Ephesino succedente Onesimo Divi Pauli discipulo. II. Quia in Concilio Ephesino jubentur coli SS. Martyrum Reliquiæ, ac præcipue S. Joannis Apostoli ibi defuncti, atque sepulti, dicente Cœlestino Summo Pontifice in Epist. ad Concil. Ephesinum: *Ante omnia vos præcipue considerare iterum, atque iterum decet, quibus Joannes Apostolus prædicavit, cujus Reliquias præsentes honoratis.* III. Quia hoc aperte constat ex perpetua Ecclesiæ Traditione, quæ Festum celebrat S. Joannis tamquam vita functi, jamque beati, & cum Christo in Cœlo regnantis, ipsumque passim invocat, quod nulli, nisi post mor-

mortem contingit; imo nec Eliæ, nec Henoch; hos enim ut mortuos, & beatos nemo colit, & invocat, & licet mirabilis Eliæ raptûs memoriam celebret; Eliam tamen nec ut mortuum, nec ut beatum agnoscit, & colit.

Solvuntur Objectiones.

I. Inquiunt: S. Joannes in sua Apocalypsi c. 10. ℣. 11. testatur, sibi ab Angelo dictum fuisse, se iterum Gentibus debere prophetare: *Et dixit mihi: oportet te iterum prophetare Gentibus.* Ex quo videtur deduci, S. Joannem venturum in fine mundi, ut iterum Gentibns prophetet.

Repono. Allata Joannis verba posse tripliciter intelligi: I. ita, ut sensus sit: *Oportet te iterum prophetare*, id est, oportet te adhuc Evangelium scribere post Apocalypsim, quod revera egit post suum de exilio reditum. Sic sentit Beda, Viega &c. II. ita juxta alios intelligi possunt, ut Angeli loquentis sensus sit: Jam ô Joannes in Pathmos exul es, & siles, sed mox liber eris, & regredieris in Asiam, ut ibi iterum prædices Asianis Evangelium. III. Et verius juxta Cornelium à Lapide ita possunt, & debent intelligi, ut eorum sensus sit: *Oportet te iterum prophetare*, id est, oportet

tet te adhuc alia graviora mala Orbi inferenda prænunciare, quam ea, quæ hactenùs prohetando nunciâsti, quasi dicat: hactenùs hac in Apocalypsi ab initio usque ad caput undecimum prophetando descripsisti Mysteria in libro contenta, septem sigillis signato; jam autem oportet te prophetando describere Mysteria, & mala multo graviora: & hæc reipsa prophetavit Joannes c. 12. 13. 14. & sequentibus usque ad finem Apocalypsis describens, & prædicens Ecclesiæ conculcationem, diram fidelium persecutionem ab Antichristo movendam, & Henoch, ac Eliæ contra illum pro Christo pugnantium mortem, martyrium, resurrectionem, ascensionem in Cœlum, & portenta eorum post mortem futura. Igitur ex hoc loco concludi nequit, S. Joannem nondum esse mortuum, & venturum in fine mundi.

II. Inquiunt: Joannem non esse mortuum expresse innuit Christus apud Joannem c. 21. ℣. 22. dum Petro interroganti, quid de Joanne futurum esset, an moriturus esset, vel non? respondit: *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*

Repono: Christum non loqui *assertive*, ita, ut affirmet, Joannem mansurum in vita, sed *conditionate* tantum ad retundendam curiosam Petri interrogationem, quasi di-

diceret: *Si sic eum volo manere, quid ad te?* Hoc clare indicat ipsemet Joannes ibidem, dum, ut falsam illam suspicionem de se non morituro ab aliis Discipulis conceptam corrigat, addit: *Et non dixit ei JEsus, non moritur, sed sic eum volo manere*, & non crucifigi, sicut te, nihil ad te, tu me sequere, & Joannis curam mihi relinque.

III. Inquiunt: Christus prædixit Jacobo, & Joanni Calicem passionis, & martyrii dicens Matth. c. 20. ℣. 23. *Calicem meum bibetis:* Igitur Joannes in fine mundi venturus est, ut hunc passionis Calicem bibat.

Repono: S. Joannem hunc Calicem sibi à Christo prædictum jam bibisse Romæ ante Portam Latinam, dum à Domitiano in ferventis olei dolium missus vegetior inde exivit, & novo virtutis miraculo Martyr non moriens, sed vivens extitit; inde est, quod à Patribus vocetur, & ab Ecclesia colatur ut Martyr, quamvis naturali morte defunctus sit. Deinde dici potest cum S. Isidoro Lib. *de Patribus Novi Testamenti*, S. Joannem bibisse veneni Calicem sibi ab impiis propinatum, sed fine noxa; hinc est, quod cum Calice illo pingi soleat sanctus ille Apostolus, inquit Cornelius à Lapide in Matth. c. 20.

QUÆSTIO V.

QUæ sint Proxima Universalis Judicii signa?

PRÆNOTIO.

Signa proxima, quæ in terra apparebunt ante Judicium extremum sunt signata Luc. 21. ℣. 26. *Erit* nempe *pressura gentium;* quia tunc homines maximis undique involventur angustiis. Erit horrenda præter solitum cursum conturbatio maris: *Præ confusione sonitus maris, & fluctuum.* Erit timor quidam universalis in toto orbe, quo non solum homines pavebunt, sed tam graviter affligentur, ut arescant suspensi quadam expectatione futurorum malorum: *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superveniet universo orbi.*

Inde autem constat hæc signa esse *proxima* Generalis Judicii, quia his allegatis Luc. 21. ℣. 26. statim subjicitur ℣. 27. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate.*

Proxima Judicii extremi signa in Cœlo apparitura indicata reperiuntur Matth. 24. ℣. 28. & seq. his verbis: *Statim autem post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur,*

bitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de Cœlo, & Virtutes Cœlorum commovebuntur. Ubi Salvator ab excidio urbis Jerusalem transit ad orbis excidium, illiusque signa prævia, è quibus proxime instare cognoscatur, assignat.

Notes. Discipulos Domini Matth. 24. ℣. 3. tria interrogasse: *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventûs tui, & consummationis sæculi?* Primum nempe quæsitum erat, quando excindenda sit Jerusalem? secundum, quando destruendus sit orbis? tertium, quando futurus sit dies judicii? putabant enim Apostoli, quod Jerusalem, & Templum diruenda essent in glorioso Christi adventu, & regno in fine mundi, quasi ipse in pœnam, & ultionem suæ cædis, & necis eam esset eversurus. Existimabant igitur, hæc tria eodem tempore eventura, scilicet excidium urbis, excidium Orbis, & diem judicii; unde Christus, ut Discipulos suos, eorumque Posteros expectatione adventus sui, & diei judicii suspensos teneret, ad eumque assidue se comparare stimularet, in respondendo Apostolorum errorem fovere videri voluit, ac ita loqui, quasi statim post excidium urbis foret excidium Orbis; idque alio, quam Apostoli intelligebant sensu, eoque vero.

Tum quia, licet plurimi anni jam fluxerint ab excidio Jerusalem, ac fluent usque ad finem mundi; tamen omne hoc tempus, licet nobis, qui angustis brevis ævi, & vitæ terminis claudimur, longissimum videatur, cum æternitate tamen Dei, qui verus temporum est mensor, comparatum, valde modicum est, & instar momenti: *Unus dies* (inquit S. Petrus Epist. 2. c. 3. ℣. 8. & 9.) *apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni, sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam.* Hac de causa Prophetæ, & Apostoli tempus Christi, & Legis Evangelicæ vocant *Novissimum*, & *horam novissimam*, ut patet 1. Joan. c. 2. ℣. 8. 1. ad Corinth. c. 10. ℣. 11. Jacobi c. 5. ℣. 8. Ad Hebr. c. 10. ℣. 37. Eadem de causa Aggæus c. 2. ℣. 4. ait modicum fore tempus usque ad Christum, cum tamen ab Aggæo ad Christum fluxerint 517. anni.

Tum quia, statim post urbis Jerosolymitanæ tribulationem succesura erat tribulatio Orbis, cujus illa typus, & præludium fuit, eo, quod nulla insignis, & antonomastica Judæorum tribulatio media intercesserit, vel intercedet inter tribulationem urbis Jerusalem, & tribulationem orbis; sed hæc illi proxime succesura sit non tempore, sed typo, simili tudine, paritate, & atrocitate. Hac de

causa

causa Isajas, Jeremias, & alii Prophetæ describentes excidium Babylonis, Tyri, Ægypti, Judææ per Chaldæos, illico ab illo transeunt, & saliunt ad ejus antitypum, scilicet ad excidium orbis, quasi mox futurum, ac acerbitatem unius per signa, & horribilia, quæ futura sunt in altero, explanant, ut patet Isajæ c. 13. ℣. 19. Jerem. c. 15. ℣. 9. Amos. c. 8. ℣. 9. Joëlis c. 2. ℣. 10. Jam ergo sit

ARTICULUS I.

Primum Signum Proximum Extremi Judicii est

Obscuratio Solis.

QUia Joël c. 2. ℣. 31. inquit: *Sol convertetur in tenebras, antequam veniat dies Domini.* Et Matth. 24. ℣. 29. *Sol obscurabitur.* Marc. c. 13. ℣. 24. *Sol contenebrabitur.*

Petes. Quomodo sub diem judicii, & finem mundi Sol sit obscurandus?

℟. Solem obtenebrandum ex densitate nubium, quæ Deus inter Solem, & terram interjiciet, ut vult Ribera, & Dominicus Soto in 4. Dist. 46. q. 2. art. 2. vel ex mira-

culosis eclipsibus, ut vult Perrerius, quæ provenient ex inusitatis motibus Cœlorum, qui nunc tardius, nunc velocius solito movebuntur; unde Lactantius lib. 7. c. 16. de Sole, & Luna sic inquit: *Motus extraordinarios peragent, ut non sit homini promptum, aut siderum cursus, aut rationem temporum agnoscere. Fiet enim vel æstas in hyeme, vel hyems in æstate, tunc & annus breviabitur, & mensis minuetur, & dies in angustum coarctabitur.* Quæ si vera sunt, facile erit tunc varias produci eclipses. Vel ex suspensione Divini concursus; suspendet nempe Deus illuminationem Solis, negando eidem concursum, sine quo non potest spargere lumen suum, & illuminare orbem, ex quo sequentur densissimæ, & universales tenebræ per totum mundum. Ita Franciscus Suarez 3. p. q. 59. a. 6. Disp. 56. Sect. 3.

ARTICULUS II.

Secundum Signum Proximum Extremi Judicii est

Obtenebratio Lunæ.

QUia Joël dicitur c. 2. ℣. 10. *Sol, & Luna obtenebrati sunt.* Matth. c. 24. ℣. 29.

℣. 29. *Luna non dabit lumen suum.* Marc. c. 13. ℣. 24. *Luna non dabit splendorem suum.*

Petes. Quomodo Luna fit obtenebranda?

℟. Per interpositionem nubis ita dispositæ, ut per impressionem radiorum Lunæ, ipsa videatur tota sanguinea ad significandam divini Judicii severitatem ait Suarez; nam rubicunda Luna representat cruorem, id est, stragem impiorum ob Sanguinem Christi ab iis vel effusum, vel neglectum, & spretum. Ideo ait Joël c. 2. ℣. 31. *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* Apocal. c. 6. ℣. 12. *Luna tota facta est, sicut sanguis.* Rursum rubicunda Luna protendit ventos, procellas, & tempestates iræ Dei, & suppliciorum, quæ effundet Deus in peccata, & peccatores; nam

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Et Virgil. 1. Georg.

At si Virgineum suffuderit orbe ruborem, ventus erit.

Solis ergo, & Lunæ obscuratio tunc non erit ordinaria, ut alias evenire per eclipsim solet; sed erit admodum horribilis, evenietque præter naturæ leges dictis modis, qualiter etiam accidisse videtur

eclipsis Solis, vel obscuratio ejus in Passione Christi; nam ab hora sexta usque ad nonam factæ sunt tenebræ per universam terram: quo tamen tempore eclipsis non erat, fuit enim dies decima quinta mensis primi Judæorum, id est, Luna decima quinta, in qua erat dies primus Azymorum, & tunc fuerat obscuratio illa, quæ esse non poterat Solis eclipsis; cum hæc solum in conjunctione contingat.

Pariter nec Luna per eclipsim obscuranda est, licet modus iste facilis esset explicandi ejusdem obtenebrationem, scilicet, quod Luna intraret umbram telluris, & ita obscuraretur, quemadmodum fit in omni eclipsatione Lunæ; nam ipsa intrat in pyramidem umbræ terræ, vel tangit eam, & ita eclipsatur in totum, vel in partem: at tunc non erit sic, secus naturaliter obscuraretur, sicut alias, cum eclipsatur, neque esset signum futuri judicii; unde sicut obscuratio Solis in Passione Christi; quia erat signum rei præternaturalis, id est mortis Domini Conditoris naturæ, fuit præternaturalis, ita obscuratio Solis, & Lunæ, quæ sunt signum extremi Judicii, erunt præternaturales modis jam insinuatis.

AR-

ARTICULUS III.

Tertium Signum Proximum Extremi Judicii est

Casus Stellarum.

QUia prædicitur Matth. c. 24. ℣. 29. *Stellæ cadent de Cœlo.* Item Marc. c. 13. ℣. 25. *Stellæ Cœli erunt decidentes.* Et Apoc. c. 6. ℣. 13. *Stellæ de Cœlo ceciderunt super terram.*

Petes. Quomodo Stellæ de Cœlo sint casuræ?

℟. Hoc non ita esse capiendum, quasi ipsa moles stellifera suo loco dimota ad terram sit casura, sed (ut vult Ribera, & Perrerius) nomine Stellarum hic veniunt Cometæ, fulgura, ignes cadentes, aliaque meteora ignea instar Stellarum, qualia multa erunt in fine mundi, eaque novæ, & prodigiosæ magnitudinis, formæ, figuræ, motus, & lapsûs; Deus enim illa, quasi horribilia fulgura, & tonitrua jaculabitur in terram, ut homines terrefaciat; ideo dicitur Joël c. 2. ℣. 30. *Dabo prodigia in Cœlo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.*

ARTICULUS IV.

Quartum Signum Proximum Extremi Judicii est

Commotio Virtutum Cœlestium.

QUia prædicitur Matth. c. 24. ℣. 29. *Virtutes Cœlorum commovebuntur.* Marc. c. 13. ℣. 25. *Virtutes, quæ in Cœlis sunt, movebuntur.*

Petes. Quid intelligatur hic nomine *Virtutum*, & quomodo eæ sint commovendæ?

℟. Ab Origine, & S. Chrysostomo per *Virtutes* intelligi septimum Angelorum Chorum, sive Ordinem, qui dicitur *Virtutes*, eo, quod singulari vi, & robore polleat; unde licet hi Angeli sint potentissimi: videntes tamen Solem, & Lunam obscurari, & Stellas de Cœlo cadere, ac plura alia horrenda prodigia in fine mundi multiplicari, quasi attoniti ad tantas mutationes, & terrores obstupescent. Hinc S. Augustinus Serm. 130. de tempore inquit: *Sicut Principe judicante, non solum rei, sed & Officia, quæ nihil sibi conscia sunt, timore, & tremore comprehenduntur propter Judicis terrorem: ita & tunc, cum genus humanum judi-*

judicabitur, & Cœlestes Ministri pavebunt, & terribili apparatu de Judicis intuentis horrenda formidine contremiscent, id est, videbuntur contremiscere: vere enim contremiscere nequeunt; sunt enim beati, in quos nec tremor, nec ulla alia passio cadit. Item Franciscus Suarez 3. p. q. 59. a. 6. Disp. 56. Sect. 3. ait: Virtutes Cœlorum esse Angelos, qui magna vi Cælos gyrant, & movent, hi commovebuntur; quia ipsi quasi Ministri Divinæ Justitiæ, & vindictæ in impios, omnes illas admirandas mutationes, & motus in Sole, Luna, Stellis, mari, & terra causabunt, & efficient, quibus recte accommodari potest illud Psal. 149. *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ut faciant in eis judicium conscriptum.* Huc etiam referri possunt multa, quæ in Apocalypsi dicuntur, scilicet S. Joannem vidisse Angelos nunc canentes Tubis, nunc effundentes phialas aureas plenas iracundia Dei, & similia, quæ legi possunt à cap. 8. usque ad 16.

Per *Virtutes* Cœlorum etiam ipsa sidera, eorumque influentiæ, sive virtutes influendi in hæc inferiora denotari possunt; quia in fine mundi astra Cœli maxima, & validissima suos motus, aspectus, influentias mutabunt, ex quo omnia miscebuntur,

ter-

terra quassabitur insolitis motibus, mare exundabit, aër nubibus, cometis, tonitruis, fulgetris, aliisque meteoris, ut tempestatibus ita concutietur, ut omnia everti videantur.

Denique vocabulo *Virtutum* poli, & cardines Cœlorum designari possunt quasi cardines ipsi, & bases, robora, fortitudines, & firmamenta Cœlorum commoverentur, & Cœli à suis cardinibus concuti, & convelli videantur. Et hoc est, quod ait Job c. 9. ℣. 6. *Qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur.* Et c. 26. ℣. 11. *Columnæ Cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.*

QUÆSTIO VI.

An præter recensita aliud sit futuri Judicii Signum?

℟. Esse *conflagrationem* mundi, de qua ait S. Petrus 2. Epist. c. 3. ℣. 7. *Cœli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem Judicii.* Et post pauca ℣. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.*

Quemadmodum autem vera, & reali aqua mundus inundatus periit, ita quoque vero, & reali igne exuretur; quia Apostolorum Princeps Epist. posteriori per anti-

the-

theſim, ſeu contrapoſitionem ad aquas diluvii ita de hoc igne loquitur, ut de aquis, quibus mundus periit inundatus; unde S. Auguſtinus opinatur cum D. Bonaventura ad illam orbis conflagrationem non eſſe creandum novum ignem, ſed ſicut in diluvio vera aqua ê terræ cavernis educta, & exhalationes aëreæ in aquam reſolutæ fuere, ita quoque tunc omnes ignes, qui in terra, vel ſupra illam ſunt, ad univerſale hoc incendium concurrent.

QUÆSTIO VII.

Quæ ſint illa Signa, quæ communiter S. Hieronymo attribuuntur, & an ſint genuina?

R. ad I. Ejuſmodi Signa recenſeri quindecim, quæ S. Hieronymus ex Annalibus refert Judæorum, ea tamen non approbat, ſed veritatem illorum majorum judicio relinquit diſcutiendam; dicitur ibi per quindecim continuos dies, quotidie novum Signum appariturum. I. Mare elevabitur quindecim cubitis ſuper altitudinem montium, ac ita ſolidum, ac validum ad inſtar muri ſubſiſtet. II. Denuo tam profunde ſubſidebit, ut vix videri poterit. III. Monſtra marina ſe erigent ſuper maris ſuperficiem, ac horrendos mugitus, & ſtridores edent.

edent. IV. Mare, & quævis alia aqua bulliet, & ardebit. V. Herbæ, & arbores stillabunt rorem sanguineum. VI. Corruent ædificia, & solo æquata planitiem constituent. VII. Petræ allidentur ad invicem, & confrigentur in partes. VIII. Fiet universalis terræmotus tam horrendus, ut homines, & animantia eo concussa ad terram sint prosternenda. IX. Montes, & colles, ut cera liquescent, & ita æquabitur terra. X. Exibunt homines de habitaculis, cryptis, & cavernis, velut amentes nihil præ confusione loquentes. XI. Surgent multa ossa mortuorum, & stabunt supra sepulchra sua. XII. Cadent stellæ de Cœlo. XIII. Homines in vita superstites morientur, ut una cum aliis resurgere possint. XIV. Cœlum, & terra conflagrabunt. XV. Erit Cœlum novum, & terra nova, & resurgent omnes mortui ad Judicium.

℟. ad II. Signa hæc vix aliquam veritatis speciem præseferre. Ratio; quia expositis Judicii Signis contestatur Salvator Matth. 24. ℣. 36. *De die autem illa, & hora nemo scit*, id est, scitis Signis, necdum scitur determinate dies Judicii; at si Signa illa essent authentica Judicii Signa, scitis iis, sciretur dies Judicii, cum ponantur futura in quindecim diebus continuis, & in de-

decima quinta dicantur mortui ad Judicium resurrecturi, ut ita dies Resurrectionis sit ipsa Judicii dies. Item expletis veris Judicii Signis non statim fiet Judicium: *Cum hæc fieri videritis, scitote, quia prope est in januis.* Matth. 24. ℣. 33. *His fieri incipientibus levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. ℣. 28. ergo prope erit dies Judicii, sed non illico fiet: datis autem illis Signis in ultimo die scilicet decimo quinto fieret dies Judicii, quo omnes morituri, & resurrecturi perhibentur. Deinde si die decimo homines de habitaculis, cryptis, & cavernis egredientur, ac hinc inde veluti insani discurrent, quomodo verum erit, quod die decimo quinto ipso nempe Judicii die ex Matth. c. 24. erunt duo in agro, quorum unus assumetur, & alter relinquetur: & duæ in mola, quarum una assumetur, una relinquetur: ac duo in lecto &c.

QUÆSTIO VIII.

An ex Signis determinate sciri poterit dies Judicii? & quantum temporis intervallum inter Signa, & diem Judicii sit interceſſurum?

℟. ad I. Per Signa, quæ Judicium præceſſura sunt, haud reddendum certum tempus

pus adventus Christi ad Judicium; quia Matth. c. 24. ℣. 36. expresse intimatur: *De die autem illa, & hora nemo scit - - - - neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater.* Præterea præmissis illis Signis adjunxit Christus parabolam de patrefamilias nesciente, quando fur venturus sit ad suffodiendam domum, & concluſit vigilandum esse, quia nescimus diem, quando filius hominis venturus sit. *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam, ideo, & vos estote parati, quia, qua nescitis hora, filius hominis venturus est.* Matth. 24. *De temporibus, & momentis fratres non indigetis, ut scribamus vobis, ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* 1. ad Thessal. c. 5.

℟. ad II. Hoc esse ignotum, probabilius tamen tempus illud intermedium erit brevissimum; ait enim Christus Matth. c. 24. ℣. 33. *Cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est in januis*, quod autem in januis est, jam incipit esse intra domum; ideo valde propinquus signatur futurus dies Judicii. Dein Luc. c. 21. positis Signis statim subjungitur: *His fieri incipientibus respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio nostra.* At si longiore

post

post Signa tempore sequeretur dies Judicii, incassum diceretur: *Levate capita vestra* ad contuendum aliquod bonum ex finalis Judicii sententia obventurum, cum vix id essent visuri homines, si primum post 70. 80. vel 100. annos Judicium institueretur.

Res evidentior fit ex parabola, quam Servator cit. cap. Matth. 24. proponit: *Cum ramus fici est tener, & folia nata, scitis, quia prope est æstas. Ita & vos, cum hæc videritis fieri, scitote; quia prope est in januis.* Et Luc. 21. *Scitote, quia prope est Regnum Dei.* Sed cum ficus habet folia, parum distat æstas: ergo & parum distabit Judicium, cum hæc Signa fient. Tandem hæc Signa videbuntur, ut mortales eorum terrore commoti ad divini Judicis adventum disponantur; at inutilia hæc Signa forent, si Judicium post 70. 80. vel 100. annos primum sequeretur, cum plerique, si non omnes, qui Signa viderent, ante diem Judicii morerentur, qui vero Judicii viverent tempore, nulla prius vidissent Signa, unde & his inutilia essent. Pauci ergo post Signa usque ad Judicii tempus transibunt dies, & forte non duo, vel tres anni; nec verosimile est plures transituros spectatis Signorum conditionibus, & modis loquendi Christi de brevitate temporis.

Petes. Si breviſſimum tempus inter Signa, & diem Judicii interceſſurum ſit, quomodo ergo poterit eſſe tanta oblivio, vel ſecuritas ut ſint homines, ſicut in diebus Noë edentes, & bibentes, & plantantes vineas, uſque ad diem, qua venit diluvium, & perdidit omnes? Matth. c. 24. ℣. 38. & 39.

℟. Cum S. Chryſoſtomo Homil. ſuper c. 24. Matth. Id intelligi de malis, & incredulis, qui viſis etiam Signis non credent futurum diem Judicii, neque Signa illa aliquid portendiſſe, & ideo vacabunt voluptatibus, & quando adveniet dies Judicii, inopinate ipſis adveniet; quia nihil de illa cogitaverunt, fietque cum ipſis, ſicut in diebus Loth, ubi nemo ſollicitus erat in Sodomis, quouſque egreſſus eſt Loth, & venit ignis de Cœlo, & exuſſit omnes. Luc. c. 17. ℣. 28.

QUÆSTIO IX.

An Chriſtus in Judicio Univerſali ſit futurus Judex? & ſecundum quam naturam Divinam, vel Humanam?

℟. *Quia neque Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio.* Joan. c. 5. ℣. 22. Hinc Chriſtus ut Deus *principaliter* judicabit; ut Homo autem poteſtate ſolùm *delegata*,

qua

qua tamen excellentior creaturæ nequit conferri; quandoquidem soli Deo, cujus intellectus in dictando summe rectus est, & voluntas in decernendo independens, potestas judicandi competit per naturam, Christo vero ut Homini solum per gratiam: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei Judicium facere; quia filius hominis est.* Joann. c. 5. ℣. 26.

Rationes, ob quas Christus in natura humana judicaturus est, principaliores hæ sunt. I. Quia ultimum Judicium ea de causa fiet, ut boni recipiantur in Regnum Cœleste, mali vero ab eo arceantur; unde maxime decet, ut Christus secundum humanam naturam judicet mundum, cujus Redemptionis beneficio in Regnum Cœleste introitur. II. Ad ostensionem excelsæ potentiæ; qui enim in forma hominis judicatus est, ne hoc ex impotentia passus videatur; idcirco in forma humanitatis judicabit, juxta illud Psal. 50. ℣. 6. *Ut vincas, cum judicaris;* quamobrem Apostolorum Princeps, cum in Cornelii domo summa Christianæ Religionis capita exposuisset, docuissetque, Christum â Judæis in ligno suspensum, atque occisum, tertia vero die ad vitam resurrexisse, subjunxit Act. c. 10. ℣. 42. *Et præcepit nobis prædicare populo, &*

testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Judex vivorum, & mortuorum. III. Cum de hominibus in hoc Judicio sit decernendum, congruum est, à Christo ut Homine id exerceri, ut ipsi corporeis oculis Judicem videre, & auribus sententiam, quæ proferetur, possint audire, & omnino Judicium illud sensibus percipere.

Petes: An in Judicio Universali alii Cojudices sint futuri?

R. Id à Christo Matth. 19. ℣. 28. promissum esse Apostolis: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione; cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Neque isto loco solis Apostolis gloriosa hæc judicaria sessio in thronis nubium aëris splendidissimis à Christo promittitur, sed singulis illis, qui relictis omnibus, Christum pauperem pauperes ferventi, & perfecta imitatione secuti fuerint, ejusque Evangelium, & Regnum propagaverint.

Judicaturi autem SS. Apostoli sunt non tantum collatione sui cum impiis, quomodo Regina Austri, & Ninivitæ dicuntur in die Judicii condemnaturi Judæos, scilicet suo facto, & exemplo, eo, quod prædicante Jona pœnitentiam egerint; cum Judæi prædicante Christo pœnitere noluerint.

Matth.

Matth. c. 12. v. 40. & 41. Nec etiam approbatione sententiæ Christi dumtaxat, quomodo omnes Sancti judicabunt justam Christi in pios æque, ac impios de Cœlo, & Inferno sententiam approbaturi, sed multo honorificentius, & glorioſius quasi Regni Cœlestis Primores, Principes, Doctores, & Judices, & quasi Assessores Christi Judicis cum eo in suis thronis considentes; sicut Cardinales cum Papa proprie judicabunt, eamdemque ferent sententiam, quam Christus, qua probos Cœlo, improbos Inferno adjudicabunt, arguentes, & increpantes eos, qui suam doctrinam, vitæque sanctæ exempla neglexerunt, & probantes, ac laudantes eos, qui utrumque coluerunt, & imitando expressserunt.

QUÆSTIO X.

Qui sint judicandi in hoc Judicio?

ARTICULUS I.

Tam Reprobi, quam Electi, dispari tamen ratione judicabuntur.

Fiet enim Judicium ad Divinæ justitiæ, & misericordiæ ostensionem; unde ut hæc Dei attributa singulis clarescant, necesse est,

ut bonorum æque, ac malorum merita, & demerita ibidem proponantur, discutiantur, & judicentur. Deinde ex Apostolo 2. ad Corinth. c. 5. ℣. 10. *Omnes*, tam Electos nempe, quam Reprobos, *manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Demum hujus Judicii effectus erit separatio bonorum â malis, ut hi vadant in ignem æternum, & illi transeant inde in vitam æternam: *Cum venerit filius hominis --- congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos, sicut separat pastor oves ab hædis.* Matth. c. 25. ℣. 32. ergo boni, & mali judicabuntur.

Dixi: *Dispari tamen ratione:* Divus enim Gregorius lib. 16. Moral. c. 24. quatuor discernit ordines judicandorum. Primus erit *Electorum perfectorum*, qui tum legis præcepta, tum Evangelii Consilia servaverunt, hi Judicio *Discussionis stricte sumpto* non judicabuntur; erit enim satis notoria eorum virtus, & perfectio, judicabuntur tamen Judicio *Retributionis*, & *Remunerationis*, in quo ordine erunt sancti Apostoli, eorumque imitatores. Secundus erit *Electorum minus perfectorum*, qui quidem aliquando contra legis præcepta peccaverunt; aſt iterum pœnitentes per opera bona, vel maxime

xime misericordiæ finaliter salvati sunt, hi judicabuntur tam Judicio *Remunerationis*, quam *strictæ discussionis*, quod fit per contrariam allegationem rei ad se juvandum ex fide, & servata finaliter lege. Tertius est *Reproborum fidelium* mortuorum in statu peccati mortalis, qui pariter judicabuntur Judicio *Condemnationis*, & *stricte discussionis*; fidei tamen, & legis opera eis non poterunt suffragari. Unde illius Psal. 1. ℣. 6. *Non resurgent impii in Judicio*: sensus est, eos non resurrecturos ad *Remunerationem*, bene vero ad *Condemnationem*, id, quod constat ex Joan. c. 5. ℣. 29. *Procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala, in resurrectionem Judicii*, id est, *Condemnationis.*

Inquiunt: Joan. 3. ℣. 18. dicitur: *Qui credit in eum, non judicabitur.*

Repono: Id verum esse de fide formata charitate, quam vocat Apostolus fidem, quæ per dilectionem operatur, quod expressit Christus Marc. c. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, & fecerit, quæ infra Matth. c. 28. præcepta sunt, videlicet: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* De his fidelibus verum est,

eos salvandos, nec judicandos Judicio *Condemnationis.*

Circa *discussionem* notandum: eam ad nos, non ad Deum referendam; Deus enim Omniscius de nullo facit *discussionem*, cui omnium merita, & demerita sunt ab æterno æqualiter nota. Quartus denique ordo erit *Infidelium*, qui Judicio *strictæ discussionis* non judicabuntur; quia notoria aliunde erit eorum infidelitas: in re notoria autem nulla requiritur *discussio*: nec etiam seſe per fidem, aut opera bona fidei defendere poterunt, & ideo de eis dicitur Joan. 3. ℣. 18. *Qui non credit, jam judicatus est*, judicabuntur tamen Judicio *Condemnationis*, seu sententia â Christo proferenda: *Ite maledicti* &c.

ARTICULUS II.

Etiam Parvuli ante rationis usum defuncti in hoc Judicio sistendi sunt, ut Retributionis, *vel* Condemnationis *sententiam percipiant.*

Desumitur ex Apocal. c. 20. ℣. 12. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni.* Firmat veritatem S. Anselmus in 2. ad Corinth. c. 5. inquiens: *Referet unusquisque, etiam parvuli, cum hoc tamen discrimine ab aliis, quod isti referent, quod*

quod non per seipsos, sed per alios gessere, quando scilicet per corda, & ora gestantium credidere, vel non, quando baptizati sunt. Et quia finis Judicii hujus est ostensio divinæ Justitiæ punientis, & misericordiæ præmiantis, sintque parvuli tum præmii capaces, si media salutis ipsis applicata fuere, tum pœnæ saltem *damni*, si ejusmodi media ipsis non obtigere; consequitur eos fore judicandos, non quidem Judicio *discussionis* stricte accepto, sed late sumpto, quatenùs palam manifestabitur, & cognoscetur eis fuisse, aut non fuisse salutis remedia applicata, & ita præmio per *Retributionem*, aut pœna per *Condemnationem* dignos esse.

ARTICULUS III.

ANgeli sive boni, sive mali Judicium *Retributionis* quoad præmium, vel *Condemnationis* quoad pœnam subibunt.

Gloriatur enim Apostolus 1. ad Corinth. c. 6. ℣. 3. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus.* Deinde: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* 2. Pet. c. 2. ℣. 4. *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in ju-*

dicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. Epist. Cathol. S. Judæ Apostoli ℣. 6. Si autem mali Angeli judicandi tunc sint judicio *Condemnationis* ad majorem sui confusionem, tanto magis boni Angeli ad majorem eorum honorem judicabuntur judicio *approbationis*, & *retributionis*. Rationem hujus adducit Scotus in 4. Dist. 47. q. 1. §. *de secundo*. Quia Universale Judicium instituetur ad duas discernendas familias, supernæ nempe, & infimæ civitatis; Sancti vero Angeli cum Electis Dei constituunt civitatem Dei: Dœmones autem cum reprobis civitatem Diaboli: igitur, ficut omnes homines saltem judicio *discussionis* late sumpto, & Judicio *retributionis*, aut *condemnationis*, separabuntur ad constituendas duas Civitates, ita & Angeli. Spectat id quoque ad honorem, & gloriam Christi, qui sicut Caput, & Rex est Angelorum, ita sit & Judex eorum.

Observandum nec bonos, nec malos Angelos judicandos judicio *strictæ discussionis*; quia ejusmodi *discussio* fit de dubiis, in eo autem, quod est certum, qualia sunt merita bonorum, & demerita malorum Angelorum, nulla est necessaria *discussio*. Item ibi intervenit *discussio*, ubi sunt bona permixta malis; in Angelis autem bonis sunt

sunt bona merita sine ullis malis: & in Dœmonibus sunt mala merita sine ullis bonis.

Inquiunt: *Deus non judicat bis in idipsum.* Nahum. c. 1. mali autem Angeli jam judicati sunt: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi*, id est, Diabolus, *ejicietur foras.* Joan. c. 12. ℣. 31.

Repono. Christum in præcitato textu loqui de Dœmone ejiciendo de mundi possessione, & liberatione hominis à potestate ejus, cujus per Adæ peccatum erat servus effectus.

Pro aliis solvendis observa, quod etsi in morte cujuslibet hominis Judicium Particulare fiat, superfit tamen adhuc aliud Generale, cujus finis non solum est punitio delictorum, & largitio præmiorum, sed etiam ostensio divinæ Justitiæ distributivæ, quæ licet in cujuslibet morte exerceatur, non tamen tunc publice manifestatur, quod Deus juste judicet, sed privatim tantum contingit, nec refertur ad corpus, sed ad animam solam. Nec Deus punit, aut *judicat bis in idipsum;* quia ut ait Scotus: homo si consideratur, ut persona privata, judicatur mox post mortem judicio *Privato*, si vero spectetur, ut est pars totius generis humani, judicabitur in fine sæculi Judicio *Universali*, & *Publico*, neque punitur secunda vice, sed solum eadem pœna,

quæ

quæ mox post mortem decreta fuit, in damnatis ad corpus extenditur, & completur. Ad illud Psal. 1. ℣. 6. *Non resurgent impii in judicio:* responsum fuit alibi. Addo hic, eos non resurrecturos in Judicio ad vitam, & ut judicent, sed ad mortem, & ut judicentur, ut in lib. Machab. Antiocho dictum fuit: *Tibi autem resurrectio ad vitam non erit.* Illud Joan. c. 3. ℣. 18. *Qui credit in eum, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est.* Sic exponendum est Authore Lyrano: *Non judicatur*, id est non habet causam *condemnationis, jam judicatus est*, id est, habet causam manifestam *condemnationis*, quæ tamen palam antea non dabitur executioni, quam in secundo Christi adventu; unde textus ille solummodo probat, quod qui credit in eum, non judicetur in Judicio *Punitivo*, qui autem non credit, jam judicatus est Judicio *Punitivo*, non quidem in re, & executione, sed in intentione, & præscientia Dei, cum scriptum sit: *Qui non crediderit, condemnabitur.*

QUÆSTIO XI.

An Extremum Judicium sit de die, vel de nocte futurum?

℣. Id

℟. Id esse incertum, cum tempus Judicii quacunque naturali supputatione nequeat inveniri, nec Deus, qui solus omnia novit, id in Scripturis Canonicis voluerit revelare. Censeo tamen cum Francisco Suarez 3. p. Tom. 2. Disp. 50. Sect. 10. Christum verosimilius mane venturum ad Judicium; ipse enim Pater est lucis peragetque judicium palam in luce spectante toto mundo, ne quis in tenebris fuco, illusioni, fugæ, aut latibulo sit locus. Videtur etiam probabilius, homines eo tempore judicandos, quo Christus resurrexit, nempe in principio diei.

Proprie tamen loquendo Judicium nec de die, nec de nocte fiet; quia tunc motus Cœli, qui tempora signat, non erit amplius; unde dies, vel nox, illa vocabitur temporis habitudo, quæ præcessit cessante motu, manebuntque Luminaria in statione illa, in qua erant, priusquam desineret motus, scilicet Sol in Oriente, & Luna in Occidente, in quo situ primitus condita creduntur. Nocte ergo, vel sub auroram insonabit Tuba Archangeli, fietque resurrectio, & mox Christus ipso mane descendet ad Judicium.

Qui Judicium de nocte instituendum prætendunt, in eo vim suæ opinionis fundant; quia noctu percussa sunt omnia Primo-

mogenita Ægyptiorum ab Angelo Exterminatore; sed quis somniet, quod Deus omnes pœnas eadem infligat hora? ignem in Sodomis non pluit Deus media nocte, sed in ortu Solis, vel quasi; jam enim mane erat, quando exivit Loth de Sodoma, neque ante ejusdem exitum nocuerunt Angeli Civitati Gen. c. 19. *Et in ortu Solis pluit sulphur, & ignem de Cœlo.* Eod. cap. Pariter quando Deus misit diluvium, non misit noctu, sed cœpit in ortu Solis, vel paulo post; in articulo siquidem diei introivit Noë in Arcam, id est, in puncto Ortûs. Gen. c. 7. & statim exorta est pluvia diluvii.

Dum Matth. c. 24. adventus Domini ad judicandum comparatur adventui furis ad perfodiendam domum. Et 1. ad Thessal. c. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte veniet.* Matth. c. 25. *Media autem nocte clamor factus est.* Nihil inde infertur, præterquam, quod mortis tempus homini sit incertum, & quod Christus Judex venturus sit inopinate, inexpectate, hominibus non cogitantibus, & quasi dormientibus.

Petes. Qua ratione verum sit illud Marci c. 13. ℣. 32. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater?*

℟. Cum

℟. Cum S. Bernardino allegante S. Hieronymum prædictum textum in hæc verba exponentem: *Cum omnia tempora fecerit JEsus, hoc est, Verbum Dei* (omnia enim per ipsum facta sunt. Joan. c. 1. ℣. 3.) *in omnibus autem temporibus cum dies Judicii sit, quæ legitima consequentia esse potest, ejus ignorare partem, cujus totum novit? numquid Deus Pater cognitionem illius diei Filio denegavit, cum dicit:* Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Matth. c. 11. ℣. 27. *Ergo non omnia, si est aliquid, quod negatur.* Unde concludit idem S. Bernardinus per S. Augustini authoritatem: *dicitur Christus secundum S. Augustinum illum nescire diem, quia non facit homines scire.*

QUÆSTIO XII.

Ubi sit futurum Judicium Universale?

℟. Cum Scoto in 4. Dist. 47. q. 3. §. *de quarto* Judicii locum esse Vallem Josaphat, sitam inter Jerusalem, & Montem Oliveti, quam perluit torrens Cedron. Ratio est I. quia Jerusalem esse censetur medium terræ, in quo Deus, teste Psalte Psal. 73. ℣. 11. Salutem operatus est per Passionem, Mortem, & Ascensionem Christi: ergo decet, ut ibidem sancti fru-

fructum Sanguinis, & Passionis ejus, ac gloriam Resurrectionis participent. II. Quia Christus Jerosolymis vixit, docuit, miracula fecit, judicatus, & occisus est: ac in monte Oliveti, qui huic Valli imminet, gloriam, & majestatem suam ascendens in Cœlum ostendit, ibique Angeli eum rediturum ad Judicium prædixerunt Act. c. 1. ℣. 11. *Hic JEsus qui assumptus est à vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum:* ergo convenit, ut eodem loco judicet incredulos, & inobedientes sibi, qui tantæ ejus charitati, redemptioni, doctrinæ, & miraculis, quibus doctrinam suam cœlestem esse, seque à Deo missum Messiam, & Salvatorem probavit, credere, & obedire noluerunt. Justum est, ut Christus ibi suæ gloriæ majestatem ostendat, ubi summam ignominiam sustinuit, utque ibi judicet, ubi fuerat judicatus.

Porro Christus Judex non descendet in ipsam Vallem Josaphat; sic enim à tot hominum millionibus judicandis videri non posset, sed in aërem huic Valli, & Monti Oliveti incumbentem, & vicinum: sedebit etiam in nube lucida, & glorioſa, cui assidebit Virgo Mater, quæ in hac Valle sepulta est, & resurrexit: item S. Apostoli, & viri Apostolici. In valle vero, locisque

que adjacentibus consistent homines judicandi, sed Electi, & Beati rapientur in nubibus obviam Christo in aëra juxta Apostolum 2. ad Thess. c. 4. ℣. 16.

Petes. An Judicium Extremum sit in momento peragendum?

℟. Tale Judicium haud in instanti absolvendum, sed aliquanto tempore duraturum; nam primo fiet singulorum examen, & conscientiarum apertio, qua Christus cuique hominum sua, & aliorum omnium facta per illuminationem internam patefaciet, & revelabit, ac sententiam cuique suam pro meritis dictabit, facietque, ut omnes videant illam in singulis esse æquissimam, & justissimam, nec ullum exceptionis, vel tergiversationis supersesse locum: *Fiet enim*, ait S. Augustinus lib. 20. de Civ. Dei c. 14. *virtute divina, ut cuique opera sua vel bona, vel mala in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset, vel excuset scientia conscientiam.* Hæc autem contingent in tempore, licet brevi. Tandem generalem in omnes Sanctos voce sensibili proferet æternæ felicitatis sententiam dicendo: *Venite Benedicti Patris mei.* Mox in Improbos æternæ damnationis fulmen detonabit: *Ite maledicti ignem æternum.*

Petes. Quis sit ille Liber Scriptus, qui proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur?

R. A Divo Thoma 3. p. q. 82. ad 3. pro inconvenienti haberi, legendum aliquem librum materialem in Judicio, in quo facta singulorum sint scripta, eo, quod nullus valeat æstimare illius libri magnitudinem, vel quanto tempore legi posset, nec determinari tempus, quantum assignare, & ponere oporteret ad considerandas omnia merita, & demerita sua, & aliena, ab homine aliquo, qui successive diversa videret; unde ait Doctor Angelicus, ut unaquæque anima in breviſſimo tempore omnia videat; clarius rem explicari debere, & statuit hanc conclusionem: *Etsi in instanti aliquis visurus non sit singula, tamen breviſſimo tempore auxilio divinæ virtutis omnia particularia considerabit.* Albertus M. eidem quoque opinioni subscribit inquiens: *Liber apertus est, id est quædam vis divina ostendens unicuique facta sua.*

QUÆSTIO XIII.

Quodnam sit Signum Filii Hominis, quod in die Judicii parebit in Cœlo?

R. Hoc Signum esse Crucem; quia ipsa est Vexillum Christi, & causa victoriæ fide-

fidelium; infidelium vero, & impiorum olim fuit Scandalum, sed eorundem in die Judicii erit condemnatio, & tormentum.

Ob tres causas hoc signum Crucis erit in Cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. I. Ut significetur Christum per Crucem sibi hanc gloriam, & potestatem judiciariam meruisse. II. Ut indicetur Christum pro salute omnium fuisse Crucifixum, ac proinde ingratos esse, & inexcusabiles, qui tantam ejus gratiam, & charitatem neglexerunt. III. Ut ostendatur omnes Christi Crucifixi cultores jam cum ipso esse exaltandos in Cœlum, & omnes ejus osores dejiciendos in Gehennam.

Probabilius est ipsissimam illam Crucem, in qua salutis Author pependit, apparituram in Cœlo ad consolationem Sanctorum, qui per illam salvati fuere; ideoque Christo Crucifixo se in vita per patientiam, & mortificationem conformare studuerunt, ac condemnationem, & exprobrationem impiorum, qui Crucem Christi aspernati sunt, illique ingrati voluptates suas Cruci, & mortificationi antetulerunt. Ita censent S. Joannes Chrysost. Homil. de Cruce, & Latrone, ac Thomas Waldens. tom. 3. de Sacramentis. tit. 20. c. 198. Idem prædixit Sybilla lib. 6. Carminum, dum de Cruce ita canit:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed Cœli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Præterea docent S. Joannes Chrysostomus Hom. de Cruce, & Latrone. Cyrillus Catechesi 15. & S. Augustinus Serm. 131. de Tempore. Hoc Crucis Vexillum ab Angelis deferendum ante conspectum Christi Judicis descendentis ad Judicium quasi Trophæum victoriæ, ac Insigne Regale summæ potestatis, & imperii; audiamus verba Augustini loc. cit. *Consideraſti, quanta virtus ſit Signi, hoc eſt, Crucis: Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum: Crux vero fulgebit, & obſcurabit Luminaria Cœli, delapſisque Sideribus ſola radiabit, ut diſcas, quoniam Crux, & Luna lucidior, & Sole erit præclarior, quorum ſplendorem Divini luminis illuſtrata fulgore ſuperabit. Quemadmodum enim ingrediente Rege in civitatem exercitus antecedit, præferens humeris Signa, atque Vexilla Regalia, & ambitum præparationis armiſonæ, annunciat Regis introitum; ita Domino deſcendente ê Cœlis, præcedet exercitus Angelorum, qui Signum illud, id eſt, Triumphale Vexillum ſublimibus humeris præ-*

præferentes, divinum Regis Cœlestis ingressum terrestrium mentibus nunciabunt.

Petes I. An Electi in die Judicii sint in frontibus cruce signandi?

℟. Tunc Signum crucis in singulis Electorum frontibus conspiciendum juxta illud Apocal. c. 7. ℣. 3. *Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Et illud Ezech. c. 9. ℣. 4. in sensu allegorico: *Signa Tau* (id est, Signum Crucis) *super frontes Virorum gemmentium, & dolentium*, ut significetur illos per Crucem perveniſſe ad gloriam, & merito Crucis Cœlum possidere.

Petes II. An præter Crucem, Corona, Lancea, Spongia, & cætera Dominicæ Passionis instrumenta sub tempus Judicii in Cœlo sint videnda?

℟. Id esse incertum, cum nullibi sit clare expressum; putat tamen Salmeron cum D. Thoma hæc quoque in aëre monstranda, qui de hac re ita loquitur: *Credunt Doctores Ecclesiæ cum Cruce etiam Columnam, Flagella, Spineam Coronam, Clavos, Spongiam, Lanceam, & reliqua Passionis instrumenta - - - - apparitura in die Judicii.* Unde S. Thomas opusc. 2. c. 224. asserit: *Quod veniente Domino ad Judicium, Crucis, & alia Passionis indicia demonstrabuntur.*

QUÆSTIO XIV.

Quæ Sententia in Probos, & Improbos à Divino Judice pronuncianda sit?

℟. Electos à dextris stantes hanc optatissimam excepturos sententiam: *Venite Benedicti Patris mei: possidete Regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi.* Matth. c. 25. ℣. 34. Quibus consolatissimis verbis Pii, ac Justi à laboribus ad quietem, à lacrymarum valle ad summum gaudium, à miseriis ad perpetuam Beatitudinem vocabuntur.

Deinde conversus Judex ad eos, qui à sinistris erunt; suam in eos effundet justitiam: *Discedite à me Maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Matth. c. 25. ℣. 41. Verbis illis: *Discedite à me*, maxima pœna significatur, qua Impii plectendi erunt, cum à Dei conspectu quam longissime arcebuntur; neque spes supererit ulla fore aliquando, ut tanto bono perfruantur: hæc pœna secundum Theologos *Pœna damni* est, quo scilicet impii apud Inferos visionis beatificæ luce perpetuo carituri sunt. Additur: *Maledicti*, per quod mirum in modum eorum augebitur calamitas; si enim, dum à Divina repellentur præsentia, aliqua saltem benedictione digni haberentur, magno hæc eis solatio esset,

esset, at, quia nihil hujusmodi ipsis expectandum est, quod calamitatem leviorem reddat, inexplicabili obruentur miseria. Sequitur: *In ignem æternum*, per quod *Pœna sensus* indicatur, quatenus Damnatos summo doloris sensu infernalis ignis tormenta afficient, idque per tempus sine fine duraturum. Subjicitur: *Qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus;* per quod ostenditur Reproborum pœnam omnibus suppliciis cumulandam esse; sic enim ex naturæ nostræ conditione affecti sumus, ut omnes molestias levius feramus, si calamitatis nostræ socium aliquem, & consortem habeamus, cujus prudentia, atque humanitate aliqua ex parte juvari possimus: Quæ tandem erit Damnatorum miseria, quibus in tantis ærumnis â perditissimorum Dœmonum societate divelli nunquam licebit?

Et hæc sententia æquissime â Supremo Judice feretur in impios, qui omnia vera pietatis opera neglexerunt, & esurienti, ac sitienti nec cibum, nec potum ministraverunt, hospitem non exceperunt, nudum non operuerunt, in carcere inclusum, & ægrum non visitaverunt.

Disser-

Dissertatio VII.

DE

SUPERNATURALI HOMINIS BEATITUDINE.

FInito Universali Judicio Electi meritorum suorum Coronam accepturi vobuntur ad possidendum Regnum ipsis à constitutione mundi paratum, in quo facie ad faciem videndum se illis, atque fruendum in se ipso exhibebit ipse ille Deus, apud quem est fons vitæ, & in cujus lumine videbimus lumen, quando in diligentes se profusa liberalitate thesauros suæ bonitatis disperget, ut inebrientur ab ubertate domus suæ, & potentur torrente voluptatis. Porro tanta est supernæ felicitatis gloria, quantam nulla lingua edicere, nullus intellectus capere sufficit: *Nec oculus vidit* (Pauli verba sunt 1. ad Cor. c. 2. ỳ. 9.) *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Unde id solum de supernaturali essentiali, & accidentali hominis beatitudine concludam, quod prælucente fide, S.S. Patrum, & Gravium Theologorum doctrina per speculum, & in ænigmate de ea attingere licuerit.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

QUid sit beatitudo in genere? & quas exigat conditiones?

PRÆNOTIO.

RAtio ipsa, si audiatur, Libertinis animæ immortalitatem si non aperte negantibus, saltem in dubium revocantibus, clare docet, ultimum hominis finem non consistere in transitoriis, & caducis hujus vitæ bonis, sed aliam supereſſe felicitatem, per quam tandem ultimato perfecte beetur. Quod sic ostendo: Anima hominis est spiritus (quod Libertini non negabunt) brutorum anima perfectior, & nobilior; actiones enim hominis, si cum brutorum actionibus conferantur, spirituale eorum principium multo excellentius exigere, & arguere videntur. Nec mihi persuadere possum, homines magni ingenii, excellentiæ, & gloriæ cupidos eo vilitatis prolapsuros, ut solum in externa figura, & membrorum, atque machinæ hujus (ut loqui solent) dispositione, & coordinatione brutis meliores, & nobiliores esse velint, & se esse fateantur. Hoc posito

Quæro ex illis, utrum hæc temporalia, & transitoria bona corporis, an animæ tam nobilis esse putent? Audiant Basilium Evangelico illi Diviti animam suam sic alloquenti: *Anima habes multa bona... requiesce, comede, bibe, epulare*: talem insaniam è solius sanæ rationis principiis his verbis exprobrantem: *O verba stultissima! si porcinam habuisses animam, quid aliud illi enuntiare potuisses? itane pecuinus es, bonorum animæ ignarus, eam ut excipias carnalibus epulis?* Si ergo hæc bona corpori dumtaxat, non item spiritui conveniunt; quænam igitur erunt animæ bona? non est ita pauper Deus, ut nobiliori hominis parti bona, quæ illi propria sunt, dare nequeat, nec ita iniquus, & avarus, ut dare nolit. Certe nobilis hic spiritus ea solum ratione creatus non est, ut corpori inserviat, ut eo regendo, & procurandis ejus commodis sine ullo lucro, aut obtinendi aliquando præmii spe occupetur. Accedit, quod in maxima etiam temporalium bonorum abundantia intus, & in animo nunquam plene quieti sint Libertini, sed semper sibi aliquid deesse sentiant, quod manifesto est indicio, altiorem longe finem ipsis præstitutum, & alia ipsis post hanc vitam bona reposita esse. Nunc ad propositam quæstionem.

R. Beatitudinem à Boëtio lib. 3. de consolat. Prosa 2. describi, quod sit *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* S. Thomas 1. 2. q. 5. a. 3. ait: *Beatitudo est perfectum, & sufficiens bonum, omne malum excludens, & omne desiderium complens.* Breviter: *Beatitudo est bonum sine defectu.*

Conditiones igitur ad Beatitudinem requisitæ sunt sequentes: I. Ut consistat in summo bono, secus pateretur defectum, nec vera esset Beatitudo. II. Illud bonum debet esse aliquo modo in ipso subjecto, quod per tale bonum beatur, seu debet ab ipso aliquo modo possideri: Si enim nullo modo possideret illud bonum, tunc illo absolute careret; proinde nec felix, nec beatus esset. III. Debet illud bonum esse summe delectabile, causans gaudium, & consolationem, secus non excluderet omne malum, quia permitteret tristitiæ locum, nec adferret omne bonum, quia relinqueret subjectum bono summi gaudii destitutum. IV. Beatitudo debet esse perpetua, secus ipsi deesset maxima circumstantia bonitatis, & felicitatis, quia nempe post tempus desineret, & in majori miseria, & tristitia relinqueret creaturam amissæ tantæ felicitatis memorem. V. Necesse est, ut beatus sit de hac Beatitudinis perpetuitate securus; alias felicitatem

ejus

ejus plurimum perturbaret timor maximus de ipsa forsitan aliquando amittenda, proinde nec excluderet grande afflictionis malum; nam *multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio.* Eccles. c. 8. ℣. 6. & 7.

QUÆSTIO II.

QUæ sit Supernaturalis *Objectiva* hominis Beatitudo?

℟. Esse Deum Benedictum: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum Verum.* Joan. c. 17. ℣. 3. *Ut vita carnis anima est, ita beata hominis vita, Deus est.* S. Aug. lib. 19. de Civ. Dei c. 26. Deinde solus Deus est summum bonum excludens omne malum, & carens omni defectu, cum sit simpliciter infinitus in omni genere perfectionis, & ita ipse solus satiare potest appetitum creaturæ rationalis; sic satiat Deus desiderium *magnitudinis* juxta illud 1. Joan. c. 3. ℣. 2. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Desiderium *voluptatis* juxta illud Psal. 35. ℣. 9. *Torrente voluptatis potabis eos.* Desiderium *scientiæ* juxta illud Jerem. c. 31. ℣. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens* (ita loquitur Deus)

Co-

Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum. Deſiderium denique *æternitatis* juxta illud Iſaj. c. 5. *Juſti autem in perpetuum vivent.* Idcirco Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. c. 1. ſuſpirans exclamat: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Solvitur Wolffii Objectio.

Beatitudo hominis debet eſſe aliquo modo in homine, ita, ut ab ipſo poſſideatur, Deus autem ita in homine eſſe non poteſt, ut ab ipſo poſſideatur, nec capax eſt homo boni infiniti: adeoque.

Repono. Aliam eſſe Beatitudinem *objectivam*, & aliam *formalem*, de qua poſtea. *Objectiva* eſt objectum Beatitudinis *formalis*, quæ conſiſtit in illis operationibus vitalibus, quibus ſummum bonum, ſeu *objectiva* Beatitudo à beato tenetur, & poſſidetur modo quodam vitali ſumme delectabili. Beatitudo *formalis* debet eſſe *intrinſece*, & *inhæſive* in ſubjecto beato, *objectiva* vero ſolum *præſentialiter*, & *objective* in ipſo eſſe debet.

Ita-

Itaque Deus non potest esse in beato *intrinsece, inhæsive*, nec potest ab ipso possideri, ut ita beatus possideat Deum tanquam Dominus servum dominio proprietatis; Est tamen Deus in beato *objective*, dum se ipsi videndum, & fruendum, seu amandum *intime objective* exhibet. Possidetur etiam Deus à beato per eosdem actus *videndi*, & *fruendi*, qui possidendi modus non infert dominium in possidente, sed relinquit Deo totam suam præeminentiam supra beatum, qui manet adhuc perfecte servus Dei, & sub dominio ipsius: Sicut etiam servus Dominum, vel Principem possidere dicitur, si tanto ejus favore, & gratia potiatur, ut Princeps semper sit promptus ad implendam quamcunque rationabilem servi voluntatem. Pariter homo non est capax boni infiniti, ita, ut ipsum in se *subjective* recipiat, aut possideat per dominium proprietatis, est tamen capax summi boni, ita, ut ipsum possideat per actus formales sibi intrinsecos finitos, nempe *visionem*, & *fruitionem objective*, ipsum vero objectum maneat *entitative* extra hominem.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

IN quo sita sit Supernaturalis *formalis* hominis Beatitudo?

℟. *Formalem* Beatitudinem, qua anima vere beata redditur, in duplici operatione intellectus nempe, seu *visione*, & voluntatis, seu *fruitione* consistere. Quoad Intellectum, & actum *visionis* habetur Matth. c. 5. ℣. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Joan. c. 17. ℣. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum Verum.* Consonat S. Augustinus lib. de Spiritu, & lit. *Videre Deum summa est felicitas, jucunditas, & vita æterna.* Quoad voluntatem autem, & actum *fruitionis* habetur Matth. c. 25. ℣. 21. *Euge serve bone, & fidelis - - - - intra in gaudium Domini tui.* Et Joan. c. 16. ℣. 22. *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Item S. Augustinus lib. de Doctrina Christiana c. 22. *Hæc est summa merces, ut Deo perfruamur.* Ac lib. 8. de Civ. Dei c. 9. *Nemo beatus est, qui eo, quod amat, non fruitur.* Ideo Cathechismus Romanus illa verba Symboli: *Vitam æternam*, ita declarat: *Solida Beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo posita est, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine perfruamur.* Quid? Beatitudo perfecta est

crea-

creaturæ intellectualis satietas, debet ergo satiari, & beatificari secundum omnes potentias, secundum quas beatificabilis est, ne in Beato relinquatur defectus boni sibi possibilis.

Vides melius Beatitudinem in utroque actu reponi, licet plures Scotistæ Scotum pro se citantes doceant eam in sola *fruitione*, & Thomistæ in sola *visione* consistere. Admitto tamen libenter Beatitudinem principalius in actu *fruitionis*, quam *visionis* constitui (& judico, hoc etiam Scotum intendisse, dum eam in *fruitione* sola statuebat, id est, *principalius*) Ratio est I. Quia voluntas, & ejus actus est nobilior intellectu, ejusque actu. II. Quia per actum *amoris* perfectius unitur anima Deo, quam per actum *visionis*, ut docent Theologi Mystici. III. Quia licet *visio* sit quædam assecutio, & possessio formalis Dei in se, qui per *visionem* constituitur quodammodo in potestate videntis quantum ad perceptionem ipsius, perfectius tamen possidetur Deus per actum *fruitionis*, & *amoris* beatifici, quo voluntas ita suum objectum assequitur, ut illud faciat suum; nam per amorem amicitiæ amicus fit alter ego, adeoque perfectius, & principalius possidetur Deus per actum *amoris*, quam per actum *visionis* juxta illud Sponsæ Mysticæ dictum Can-

Cantic. c. 3. ℣. 4. *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* IV. Quia charitas viæ perfectior eſt, & Deo gratior, quam fides teſte Apoſtolo: *Major autem horum eſt charitas*: ergo etiam charitas patriæ eſt perfectior viſione; unde magis nobis deſiderandum eſt, ut Deum perfecte diligamus, quam ut eundem perfecte cognoſcamus.

Notandum eſt, *fruitionem* beatificam eſſe amorem *amicitiæ*, quo amatur Deus propter ſe, ſeu propter ſuam intrinſecam bonitatem ſine relatione ad amantem, non vero amor *concupiſcentiæ*, quo amatur Deus, ut eſt bonum conveniens amanti; quia per priorem, non per hunc poſteriorem amorem poſſidetur Deus modo perfectiſſimo, quo poſſideri poteſt à creatura. Ad actum tamen amoris *amicitiæ* etiam ſequitur amor *concupiſcentiæ* ſumme ordinatus, quo beatus tendit in Deum ut viſum, & fruitum, & in ipſo ut viſo, & fruito delectatur, eo, quod videat ſe per hos actus tenere ſuum maximum bonum.

QUÆSTIO IV.

Utrum ſupernaturalis Juſtorum Beatitudo ſit æternum duratura?

℟. Præmia Juſtorum in Cœlo æterna futura ſunt. Quod hic oſtendo. Præ-

mium, quo Deus Omnipotens, Sapientissimus, atque Optimus remuneratur bonos, vel ipsa ratione convincente, debet esse præmium plenum, perfectum, integrum, quod totum rationalis creaturæ appetitum expleat, & plene satiet, quod omnem alicujus mali timorem, ac rationi consentaneam tristitiam excludat, quamvis enim tale præmium nostris quibuscunque demum meritis citra promissionem Divinam debitum esse non possit; quis tamen prudenter negare poterit? decere Omnipotentem, Liberalissimum, atque Optimum Deum, si remunerari velit, tale præmium decernere, quod ex omni parte perfectum sit, quod plenum gaudium, ac satietatem totius rationalis appetitus adferat, cui nihil timoris, nihil tristitiæ, nihil prorsus mali sit admixtum?

Nunc quæro: An præmium quantumcunque magnum sit, quo tamen, cum semper durare, & æternum esse posset, aliquando tibi carendum fore scis: de cujus æterna possessione securus non es, sed dubitas, an ex omni parte plenum, perpetuum, & integrum existimari debeat, an totum rationalis creaturæ appetitum expleat, ac plene satiet, an omnem alicujus mali timorem, ac rationi consentaneam tristitiam excludat? Quid respondes ad hæc?

mihi

mihi certe, nec ulli alteri ratione utenti perſuadebis unquam præmium ejuſmodi perfectum, & completum eſſe.

Rem reddo clariorem. Finge tibi hominem in hoc mundo abundantem divitiis, honoribus, voluptatibus, atque omnibus adeo, quæ vel cogitari poſſunt, hujus mundi bonis fruentem: quære ex illo, an ſibi plene, perfecteque felix videatur, an nihil ultra ſit, quod appetat, an inter omnia ſua bona, & gaudia nihil amaritudinis vel invitus ſentiat? Si ad plenam felicitatem ſibi deeſſe aliquid, ſi quid præterea ſe appetere, ſi non omni ſe amaritudine carere dixerit, interroga illum, quid ei deſit, quidnam amplius appetat, & non aliud ab eo reſponſum accipies, quam hoc: Vellem hæc bona, hæc gaudia, quæ nunc habeo, ſemper habere, vellem certus eſſe, me illis nunquam cariturum, illa mihi amplius eripi non poſſe: Sed proh dolor! non ſolum de hoc certitudinis nihil habeo, ſed certus ſum de oppoſito: Scio me iſta non ſemper habiturum, nec habere ſemper poſſe, non erit ſemper ſic: Veniet tempus, quo hæc omnia cogar dimittere, quo illa me deſerent: & hoc tempus fortaſſis tam longe non abeſt, venturum eſſe ſcio, quando autem venturum ſit, neſcio, nullo momento ſecurus ſum: hoc eſt, ſuſpirans di-

cet, quod me cruciat, quod adfert animo amaritudinem, quod me inter omnia hæc bona verum, ac plenum gaudium habere non finit.

Quod si vero neget, sibi deesse aliquid, aut â se ultra appeti, si omnis se amaritudinis expertem vivere asserat, dic illi hoc unicum verbum: *Morieris*, videbis illico turbari hominem, pallere, frontem contrahere, & toto vultu metum, ac tristitiam indicare, hoc unum si audierit, risus omnis, & hilaritas momento evanescet.

Nunc cogita animam infinito fruentem bono, eique ardentissimo amore conjunctam, atque ad plenam hujus boni possessionem admissam cognoscentem clare, quantum hoc sit bonum, quanta sua de illius possessione felicitas: finge, tali animæ hanc unicam cogitationem occurrere: *Hoc tanto bono, quo nunc fruor, aliquando carendum mihi erit, quod tanto cum amore possideo, cogar dimittere hæc gaudia, quæ semper, & sine fine habere possem (cur enim Deus, qui me creare potuit, conservare me in hoc tam felici statu non posset) semper tamen, & sine fine non habebo: Sed veniet definitum tempus, post quod illa Deus mihi subtrahet, ultra quod illa mihi dare non vult.* Quisnam esset sensus talis animæ hanc secum ipsa cogitationem volventis? An non funesta tanti boni

ali-

aliquando amittendi certitudo inter ipsa gaudia itentidem occurreret, tantoque vivacius obversaretur memoriæ, quanto propius huic felicitati constitutus finis immineret? an non cruciaret ardentissimum tanti boni, tantoque cum amore possessi semper retinendi desiderium? an non adventantis postremi momenti metus identidem se ingereret, & omne gaudium incredibili amaritudine compleret? an non orta ex hoc metu tristitia, an non tanti boni æternum possidendi desiderium tanto esset vehementius, tanto cruciaret amplius, quanto ipsum bonum, quod eripiendum cernitur, majus, verius, & omni amore dignius non potest non cognosci? an non de amittenda hac tanta felicitate dolor ea etiam de causa multo esset acerbior, quod à Deo se amari, & non obstante tamen hoc amore tanta se beatitudine, quam æternam obtinere posset, ab eo privandam videret? an non hac una recordatione omne gaudium, ac præmium in luctum, & pœnam converteretur? plus etiam dico: si talis anima de suæ felicitatis perpetuitate vel dubitare posset, si plenam de illa certitudinem non haberet, an non ex ardentissimo infiniti boni amore, ejusque semper possidendi desiderio, ne illo privaretur, quovis momento metueret, & ex hoc ipso metu omnem

sibi quietem eripi, incredibili se anxietate, ac sollicitudine, vel ex hoc uno dubio cruciari sentiret?

Dicendum ergo, quod sicut rationalis creaturæ, quæ Dei capax est, aliud plenum, perfectum, totumque illius appetitum explens præmium esse nequeat, quam ipse Deus, ita infiniti hujus boni possessio, quæ sic satiat, ut novum semper sui desiderium, illudque ardentissimum accendat, nisi perpetua, & cum hujus perpetuitatis certitudine conjuncta sit, rationalis creaturæ appetitum non expleat, non plane satiet, omnis mali timorem, prudentem curam, ac tristitiam non excludat, & ita vera, & perfecta beatitudo non sit.

QUÆSTIO V.

Quot, & quæ sint Dotes Corporis Glorioſi?

℟. Quatuor â Theologis enumerari, quas indicat Paulus 1. ad Corinth. c. 15. ubi de corpore nostro loquens ait: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione* (ecce IMPASSIBILITATEM) *seminatur in ignobilitate, surget in gloria* (ecce CLARITATEM) *seminatur in infirmitate, surget in virtute* (ecce AGILITATEM) *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*

tuale (ecce SUBTILITATEM) Idem deducitur ex illo Sapientæ c. 3. ℣. 7. *Fulgebunt* (en CLARITATEM) *justi* (en IMPASSIBILITATEM) *& tanquam scintillæ* (en SUBTILITATEM) *in arundineto discurrent* (en AGILITATEM.) Vocantur autem dotes, quia tamquam dona quædam supernaturalia à Deo animæ sibi æternum desponsatæ largiter conceduntur, hisque versibus exprimuntur:

Clari, subtiles, agiles, impassibilesque
Omnes quadruplici pollebunt dote beati.

Per *IMPASSIBILITATEM* redditur corpus glorioſum incorruptibile, & immortale: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.* 1. ad Corinth. c. 15. ℣. 53. Excludet capacitatem proximam quidquam patiendi à causa naturali, aut quamcunque moleſtiam perferendi: *Neque esurient, neque sitient* &c. Isaj. c. 49. ℣. 10. *Absterget Deus omnem lacrymam* &c. Apocal. c. 21. ℣. 4.

Per *CLARITATEM* corpora beatorum accipient fulgorem, & pulchritudinem corporis quoad formam, figuram, colores debitos, & Regiam Majeſtatem; hinc dixit Chriſtus Matth. 13. ℣. 43. *Tunc justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris mei.*

Unde si in densissima nocte unicum è glorioſis corporibus appareret, noctem ipsam verteret in lucidissimam diem.

Per AGILITATEM corporibus glorioſis tribuetur robur virium, & perfecta vis locomotiva, quæ, ne otiosa sit in beatis, hi in Cœlis movebuntur, & ambulabunt de loco in locum, ut eorum visus reficiatur diversissimarum creaturarum pulchritudine, in quibus nunquam sat admiranda Dei Sapientia elucet, id, quod desumitur ex Isaj. c. 40. ℣. 31. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Cæterum dum ambulant Sancti, semper vident Deum, nec locum ordinis inter beatos amittunt. Id etiam obtinebunt per dotem *agilitatis*, quod breviſſimo, & imperceptibili tempore de loco in locum moveri poterunt.

Per dotem denique *SUBTILITATIS* beati Cœlos, aliaque corpora penetrare, ac per illa transire poterunt, sicut Chriſtus Dominus ex Virginis utero, & sepulchro est egreſſus, januis clauſis ad Apoſtolos ingreſſus, ac Cœlos penetravit. Nam ex Epiſt. ad Philipp. c. 3. *Corpora noſtra reformanda sunt ad similitudinem corporis Chriſti.*

QUÆSTIO VI.

Quid, & quot sint Beatorum Aureolæ?

℟. Aureolas esse præmia quædam accidentalia reportata in Cœlo propter insigne aliquod factum, & singularem victoriam in vita à beatis obtentam de capitalibus christianæ salutis inimicis, Diabolo scilicet, & mundo, & carne: hinc tres communiter à Theologis assignantur aureolæ hoc versu comprehensæ:

Aureolam Martyr, Doctor, Virgoque meretur.

Prima est pro Sanctis Martyribus, qui heroice triumphant de mundo, sævas persecutiones sustinendo, & mortem ipsam subeundo; ideo victricem palmam eos assequi est conveniens; hoc habetur Apocal. c. 7. ℣. 9. ubi inducuntur Martyres *Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Secunda est pro Doctoribus, qui per sapientiam, & doctrinam erroris, & infidelitatis tenebras propulsantes decipientem Diabolum excellenter debellant, de quibus habetur Daniel. c. 12. ℣. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Tertia est

pro Virginibus, sive omnibus illis, qui per continentiam virginalem carnem infigniter calcarunt; hinc in Apocal. inducuntur centum quadraginta quatuor millia, *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt:* & hi dicuntur cantare canticum novum, quod nemo alius dicere potest. Appellantur autem *aureolæ*, quasi parvæ aureæ coronæ, non quia in se magnæ non sint, sed quia exiguæ videntur respective ad essentialem beatitudinem, quæ corona aurea dicitur.

Hæ quidem solæ tres aureolæ à Theologis numerantur, qui tamen non diffitentur, etiam reliquos beatos, quibus ex his coronulis nulla obtinget pro meritorum qualitate, & virtutum plurium, vel unius excellentia sua signa habituros, & varia trophæa, ex quibus dignosci queat, in quanam virtute hic præ altero excelluerit, quod etiam ex essentiali eorum beatitudine dignoscetur; nam *visionis*, & *fruitionis* intensio respondebit intensioni luminis gloriæ, & intensio hujus respondebit intensioni charitatis in via acquisitæ: hæc porro tanto erit intensior, quanto plura quis in vita posuit merita, per quæ charitas augebatur, quæ tamen potissima ex parte habetur ex usu Sacramentorum, in quibus

bus vel conceditur, vel augetur gratia, & Charitas ex meritis Christi.

De cœtero etsi credibilius sit prædictas coronulas capitibus beatorum imponendas certis coloribus distinctas, nimirum Virginum albo colore, Martyrum rubro, Doctorum viridi, atque in aliis, & aliis clarius micantes, hoc tamen certum non est. Id solum remanet indubitatum, nullum Martyrem mereri aureolam martyrii, qui non voluntarie passus est mortem ob fidei confessionem, sive in tormentis, sive in carceribus. Nec virginitatis aureolam obtinere, nisi solas pias, & devotas virgines, quæ cum reali virginitate etiam propositum eam conservandi habent. Neque Doctoris aureolam consequi Doctorem otiosum, sed solos illos, qui prædicando, docendo, scribendo munus docentium subeunt, & istud longiori tempore præstant, & quidem in his, quæ ad fidem, & religionem pertinent christianam.

QUÆSTIO VII.

An etiam Sensus Externi Beatorum sint aliqua felicitate in Cœlis donandi?

R. Sensus quoque externos sua in Regno Cœlorum voluptate fruituros; quia per quæ quis peccat, per hæc & punitur in Inferno, ubi damnatorum sensus indicibili dolore torquentur: ergo rationabile est, ut etiam Beati suo modo beatificentur in sensibus, & in eis delectentur, quibus tamquam instrumentis sunt usi in hac vita ad cœlestem gloriam promerendam.

Oculi itaque glorificati habebunt gaudium videndo humanitatem Christi, & Gloriosissimæ Deiparæ Virginis MARIÆ: Item intuendo sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, atque sanctas Virgines, qui omnes splendore suo solarem fulgorem superabunt.

Aures habebunt gaudium percipiendo inceſſabiles civium supernorum voces Deum laudantium, quorum meminit Joannes in Apocal. c. 4. & D. Aug. in Psalm. 149. ad versum: *Exultabunt Sancti in gloria* &c. *Exaltationes Dei in gutture eorum: Sanctorum* (inquit) *corda, & linguæ non ceſſabunt laudare Deum:* hæ autem amœnæ laudes Deo decantandæ utique maximo cum jubilo à Beatis excipientur. Quis enim supponat, sanctos futuros mutos in Cœlo, nec habituros linguæ usum in corpore glorificato? probabilissimum autem est, eos locuturos lingua hebraica, quæ om-

omnium prima fuit, ut censet Genebrardus in Psal. 50. citans in eamdem sententiam multos Authores idem sentientes, & affirmantes.

Olfactus Beatorum habebit gaudium in percipiendis odoribus ex optimo temperamento corporum glorificatorum redundantibus.

Tactus Beatorum habebit gaudium in pedibus, dum ambulabunt in Cœlo Empyreo, & quando Cœlos penetrabunt: in manibus quoque gaudium, & lætitiam experientur, dum se amice invicem tangent, & amplexabuntur: Corpora enim glorificata sunt palpabilia teste Christo Luc. ult. & Joan. c. 20.

Gustus tandem habebit suum gaudium, & honestam voluptatem ex suaviſſimo humore corporis glorificati, non ex sumptis cibo, & potu. Quod autem Christus post Resurrectionem manducaverit, & biberit, potestatis fuit, non necessitatis, ut suæ Resurrectionis veritatem plenius doceret.

Disser-

Dissertatio VIII.

DE

INFERNO.

Essentialem, & accidentalem Electorum gloriam, quam post Universale Judicium consequentur, priore dissertatione descripsi, tractabo in præsenti de miserrimo damnatorum statu, quos pronunciata â justissimo Judice in impios æternæ reprobationis sententia Gehenna sine fine cruciandos concludet. Cæterum Infernum dari, & ad eum detrudi omnes, qui in peccato mortali cum finali impœnitentia ex hac vita migrant, ut æternas luant pœnas, citra errorem in fide negari non potest, quidquid reclament Libertini, qui, ut absque futurorum suppliciorum metu in scelera audacius ruant, Infernum commentum esse ad coërcendos in suis obligationibus homines, quasi in scelerum lethargo somniant.

QUÆSTIO I.

Qui sint præcipui Hæreticorum circa Infernum errores?

℟. Circa Infernum erraverunt I. Athei, & Materialistæ, qui cum Dei Providentia,

&

& animæ immortalitate *Infernum* dari negaverunt. II. Seleuciani, & Hermiani mundum hunc *Infernum* esse contendebant, nec alium supereſſe garriebant; de quibus locutus est Aug. lib. 12. de Geneſi ad lit. c. 32. dum dixit: *Inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem.* Eadem hæresi infectus fuerat Almaricus, qui asserebat, unumquemque habere in se vel *Paradisum*, si habeat cognitionem Dei, vel *Infernum*, si habeat conscientiam peccati lethalis; item Hermanus Risuich Batavus, qui nullum post hanc vitam Infernum agnovit. Crassi horum errores & per luculentissima argumenta ex Dei providentia deducta, & per Sacrarum Litterarum authoritatem refelluntur. III. Erraverunt Ubiquistæ, aut Ubiquetarii, qui voluerunt damnatorum locum, sive Infernum ubique esse, sive diffusum per universum mundum, non uni, vel alteri, imo neque pluribus locis coarctatum. Horum sententia non tam refutanda, quam exsibilanda est. Si enim ubique est Infernus: ergo etiam Angeli boni, & Beati cum Christo regnantes sunt in Inferno. Quis hanc non rideat stupiditatem?

Alii Ubiquistæ, ut moderatius sentirent, sic rem exposuerunt, ut Infernum ubique esse, sive diffusum per universum mundum dicerent, non hoc sensu, quod omnis locus,

cus, esset locus damnatorum, sed quod nullum Deus puniendis improbis locum certum destinaverit; sed arbitratu suo modo hunc, modo illum ad hujusmodi munus deligat. Hæc tamen opinio sic etiam temperata falsa est, & aliena â fide Catholicæ Ecclesiæ, quæ docet, semperque docuit, unum esse certum locum â Deo ad punitionem reproborum, sive Dœmonum, sive hominum deputatum. Constat id imprimis ex historia, sive parabola de Lazaro, & divite Epulone; nam dives, dum in Inferno inter horribiles flammas cruciaretur, elevasse dicitur oculos suos, ut videret Abrahamum, tamquam ex loco profundiore in altiorem respiciens: Abrahamus vero ipsum alloquens præter alia repo'uit: *In his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, ut, qui hinc volunt transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Et deinde dives idem orans inducitur pro fratribus suis; *Ne & ipsi* (inquit) *veniant in hunc locum tormentorum.* Cæcus sit, oportet, qui non videat in hoc textu, extento veluti digito commonstrari locum certum, & peculiarem, illumque damnatis omnibus communem; nam & â sinu Abrahæ aperte distinguitur, & inter utrumque magnum chaos interjectum esse perhibetur, & tormentorum locus distincte

no-

nominatur, & nedum pro infelice divite, ſed & pro fratribus ejus, cæterisque omnibus, qui ipſius veſtigia ſecuti fuerint, deputatum. Id quoque patet ex eo, quod peculiaribus nominibus locus hujuſmodi in Scripturis deſignetur, quæ determinatum locum indicant, ſic Luc. 8. ℣. 13. & Apoc. 20. Locus damnatorum vocatur *Abyſſus.* Pſal. 29. ℣. 3. Et Iſai 14. ℣. 15. vocatur *Lacus;* atque alibi paſſim dicitur *Stagnum ignis*, *Gehenna* &c. quæ quidem nomina determinatum locum exprimunt.

QUÆSTIO II.

Quid *Inferni* nomine deſignetur? Quantæ antiquitatis ſit dogma de ejuſdem exiſtentia? & an etiam ratio naturalis eum dari ſuadeat?

℟. ad I. Vocabulo *Inferni*, qui græce *Adis*, hebraice *Scheol* dicitur, ſubterraneum terræ locum, ſive infra terram poſitum ſignificari. Scriptura quandoque hanc vocem uſurpat pro tumulo, ſeu ſepulchro: Sic doctiſſimus Calmet Patres, ac nonnullos Interpretes ſecutus Geneſeos c. 37. ℣. 35. Jacobum *Inferni* nomine *ſepulchrum* intellexiſſe opinatur per hæc verba: *Deſcendam lugens in Infernum*, id eſt, dolore confectus, & ingemiſcens ad *ſepulchrum*

perabo. Hoc modo etiam hominis vita functi corpus in *Inferno*, sive infra terram poni dicitur.

Infernus significat etiam locum quemlibet animarum, quæ nondum in Cœlo Empyreo æterna beatitudine perfruuntur, quo sensu accipitur Psal. 29. ℣. 4. *Domine eduxisti ab Inferno animam meam.* Et Act. 2. ℣. 27. *Quoniam non derelinques animam meam in Inferno.* Et alibi passim apud Ecclesiasticos Scriptores, ubi in descensu animæ Christi ad Inferos locus ille indicatur, in quo animæ Sanctorum ante adventum Christi defunctorum detinebantur.

Proprie autem *Infernus* significat locum, in quem damnatorum animæ detruduntur, in qua acceptatione sumitur Isai. c. 14. ℣. 9. *Infernus superconturbatus est in occursum adventus tui.* Ezech. c. 31. ℣. 15. *In die, quando descendit ad Inferos, induxi luctum, operui eum abyssо.* Job. c. 26. ℣. 6. *Nudus est Infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.* Luc. c. 16. ℣. 22. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in Inferno.*

℟. ad II. Plures fuisse in hac falsa persuasione, quod Judæi olim pœnas tantum, & præmia temporalia agnoverint pro justorum meritis, & pravorum demeritis. Rursum ex iis alii Judæos â Græcis, alii vero

ab

ab Ægyptiis, & Perſis *Paradiſi*, & *Inferni* dogmata accepiſſe arbitrabantur. Sed quis hæc delirantium ſomnia non irrideat? Nam longe ante Heſiodum, Homerum Græcorum antiquiſſimos, Iſaias, Jeremias, Salomon, David, Job, atque Moyſes ſcripſerunt, ut eſt omnibus eruditis exploratum, apud quos mentio occurrit *Inferni*, loci nempe ſupplicio.um, quibus improbi in altera vita cruciantur. Vide Auguſtinum Calmet Supplem. ad Diction. Bibl. verbo *Infernus*, ubi textus omnes recenſentur, quibus in Litteris Veteris Teſtamenti alterius vitæ ſuppliciorum, ſive *Inferni* mentio fit. Ex quibus perſpicuum eſt, apud Judæos viguiſſe ſemper doctrinam de præmiis, & ſuppliciis vitæ futuræ, atque ejuſmodi perſuaſionem non ab Ægyptiis, & Perſis, ſed ab antiquis Patriarchis manaſſe.

5. ad III. Inferni, & alterius vitæ ſuppliciorum doctrinam non ſola traditione probari, quæ per factam Adamo primum, dein aliis quoque Patriarchis revelationem propagata in Hebræa Gente fuit uſque ad Moyſen, & ultra, ſed ipſo quoque rationis lumine, dum demonſtrat Univerſum, & creaturas rationales Supremi Numinis Providentia regi, & gubernari, manifeſte oſtendi, ſupereſſe in futura vita improbis hominibus ſupplicia, quemadmodum bonis

præmia. Guilielmus Parisiensis p. 1. de Universo c. 55. satis aptam adfert congruentiam rationis lumini consentaneam, quæ admittendum esse suggerit determinatum suppliciorum locum: *Cum Universum* (inquit) *veluti domus quædam sit Creatoris, qui est Dominus omnium sæculorum, & Rex, ac Rector Universi, necesse est, ut domus ejus completa sit totalitate partium suarum, & opportuna sufficientia congruentium officiorum. Tu vero non dubitas, quoniam necessarius sit carcer in omni Regali Palatio, atque habitatione, præsertim, ubi tanta multitudo latronum, & justitiandorum. Amplius: nulla est civitas ordinata, cui bonus Rex præsideat, & Bono Magistratu regatur, quæ non habet locum exercendæ justitiæ. Cum igitur certum sit, & omnium Philosophorum consensione firmatum, Universum, seu mundum civitatem esse Dei Altissimi, in qua cives sunt homines, & Angeli, hoc est omnes, & universæ substantiæ spirituales - - - - necesse est, hanc civitatem, quæ Deo Altissimo Rectore regitur, locum habere universalem, communem, & appropriatum exercendæ divinæ justitiæ.*

QUÆSTIO III.

In quo loco sit Infernus?

R.

℟. Ecclesiæ judicio definitum non esse, quem Universi locum Infernus occupet; unde Angelicus Doctor Opusc. 10. a. 31. quærens, an locus Inferni sit in centro, vel circa centrum terræ, respondet: *Ad hoc dicendum videtur, quod locus Inferni sit infra terram.* Unde Augustinus in lib. Retract. dicit: *De Inferis magis dicere debuissem, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse dicantur: ubi tamen sit Infernus, an circa centrum terræ, vel circa superficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere, & superfluum est de talibus solicitari asserendo, vel improbando.* Id ex eo etiam patet, quod variæ circa hujusmodi locum circumferantur opiniones.

Quidam enim hujusmodi carcerem extra hunc mundum situm existimarunt iis moti Evangelii verbis: *Ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium:* Matth. c. 25. ℣. 30. Hinc S. Chrysostomus Hom. 31. in Epist. ad Rom. de Gehenna differens ait: *Sed quonam in loco erit? extra mundum hunc totum, ut ego puto. Quemadmodum enim Regum carceres, & metalla procul posita sunt, ita extra mundum hunc erit Gehenna.* Qui ergo cum Chrysostomo sentiebant, *Infernum* locum Cœlo Empyreo oppositum, constituerunt inferiorem Empyreo ipso, qua ratione *Infernus* dice-

retur; sed extra terrarum orbem positum incognito loco.

Alii putant, in quadam telluris superficie situm esse *Infernum:* fingunt enim Regionem quamdam circa polum arcticum instar magnæ insulæ intemperatissimam, molestissimam, horribilissimam, & deformosissimam, quæ *Infernus* dicatur, sive locus torquendis impiis destinatus.

Alii opinati sunt reproborum carcerem in hoc aëre caliginoso situm esse, quibus adhærere videtur Gregorius Nissenus in Disput. *de anima, & resurrectione.* Quod sentimen ex expositione hujus Paulini Textus originem duxit: *Non est colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in Cœlestibus.* Ad Ephes. c. 6. v. 12. Hi omnes, quos retuli, *Inferni* nomine non locum subtus terram positum, sed infra Cœlum Empyreum constitutum appellaverunt.

Prorsus autem nova contra omnium sæculorum, ac gentium fidem excogitata opinio fuit de sede *Inferni* paucis abhinc annis à quodam Anglo Scriptore, qui *Infernum* in Sole collocandum docuit, ea fortasse de causa, quod perpetuus ibi sit ignis, & quod Sol juxta hujus Authoris men-

mentem Universi sit centrum. Opinio hæc vel ipsa novitate cadit.

Vera, & communis opinio est carcerem *Inferni* in terræ visceribus, sive in ipsius centro situm esse. Moventur ad ita sentiendum Theologi, tum, quod hæc opinio aptius exponat *Inferni* vocabulum, ac Sacris Scripturis conformior videatur; tum quod pluribus Patribus probata sit, tum demum, quia telluris centrum Cœlo Empyreo opponitur.

QUÆSTIO IV.

An Limbus Sanctorum Veteris Testamenti recte in terræ visceribus statuatur?

R. Attenta Scripturæ, & Patrum authoritate omnino dubium esse, num *Limbus* Sanctorum Patriarcharum infra terram fuerit. En locus, in quo animæ Veterum Patrum ante Christi adventum detinebantur, indicatur in illa parabola Evangelii, in qua anima divitis in Inferno, anima vero Lazari in sinu Abrahæ posita describitur Luc. c. 26. ℣. 22. & 23. Evangelium vero magnum chaos interpositum innuit inter locum suppliciorum divitis, & Abrahami sinum, in quem per manus Angelorum delatas animas fuisse commemorat,

quin Abrahami sinum sub tellure positum narrent. Item Patres plerique SS. Patriarcharum animas in deliciis positas affirmaverunt, quod vel ex proposita parabola clarescit; quomodo autem ejusmodi deliciarum locus prudenter componi poterit cum carcere in terræ visceribus posito? Scio quidem *Inferorum* nomine fuisse quandoque etiam Abrahæ sinum designatum; sed scio quoque tunc nimis late fuisse vocabulum *Inferorum* usurpatum pro omni scilicet loco, in quo defunctorum animæ versabantur, necdum ad Cœlestem Patriam delatæ.

Quinimo S. Augustinus contendit nunquam *Inferni* vocem in Scripturis Sacris accipi in bonam partem. Audi verba S. Doctoris: *Quamquam illud me nondum invenisse confitear, Inferos appellatos, ubi justorum animæ acquiescunt.* De Genesi ad lit. lib. 12. c. 33. *Proinde, ut dixi, nondum inveni, & adhuc quæro: nec mihi occurrit Inferos alicubi in bono posuisse Scripturam dumtaxat Canonicam.* ibidem. *Non facile alicubi Scripturarum Inferorum nomen positum invenitur in bono.* Epist. 57. *præsertim, quia nec ipsos quidem Inferos usquam Scripturarum locis in bono appellatos potui reperire. Quod si nunquam in Divinis Authoritatibus legitur, non utique sinus ille Abrahæ, id est, secreta*

cujus-

cujusdam quietis habitatio, aliqua pars Inferorum fuiſſe credenda eſt. Quamquam in his ipſis tanti Magiſtri verbis, ubi ait, dixiſſe Abraham: inter vos, & nos chaos magnum firmatum eſt, ſatis, ut opinor, appareat, non eſſe quamdam partem, & quaſi membrum Inferorum tantæ illius felicitatis ſinum. Epiſt. 99.

Fateor quidem eundem D. Auguſtinum lib. 20. de Civ. Dei c. 15. affirmare, non abſurde credi animas SS. Patriarcharum apud Inferos fuiſſe, locis tamen à ſupplicíis impiorum remotiſſimis, donec eas inde Sanguis Chriſti ad ea loca deſcendens erueret, interim contrarium per loca citata probare ipſe videtur, ex quo fit, quod ſi Patrum ſenſus ſpectetur, haud certum evadat, num Abrahæ ſinus ſub terra fuerit locatus.

Petes. Unde habeat originem eorum opinio, qui Conclave Veterum Patrum, ſive Abrahæ ſinum infra terram reponunt?

R. Inde. Putaverunt Græci antiqui omnes mortuorum animas ad *Cendiin*, ſi-ſive *Infernum* fore mittendas: *Infernum* vero in duas diſtinguebant cellulas, unam bonorum, alteram improborum. Primam Latini Poëtæ appellaverunt *Elyſium*, ſecundam vero *Tartara*. Ab antiquis Græcis ad Judæos paulo ante Salvatoris noſtri

tempora propagata hæc eadem opinio fuit, præsertim apud Pharisæos, ut videre est apud Josephum Hebræum lib. 18. c. 2. Antiquit. Judaic. Patres nonnulli putantes vocem *Adis* eamdem retinere in Scripturis, quam apud Authores Græcos habebat significationem, doctrinam illam de duplici apud Inferos loco susceperunt, ac veluti hypothesim adhibuerunt in propriis exponendis de futuro animarum statu opinionibus.

Iustinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, aliique antiqui Patres, qui Sanctorum beatitudinem usque ad mundi finem differendam arbitrabantur, hanc de duplici apud Inferos loco usurpaverunt hypothesim, ut sedem designarent animarum Sanctorum cum corporum resurrectione cœlestem beatitudinem expectantium.

S. Hieronymus, aliique Patres, qui Christi animam ad Inferos descendisse crediderunt, ut disrupto antiquo carcere, animas Sanctorum Patriarcharum in Cœlestem Patriam perduceret, eamdem hypothesim secuti, sinum Abrahæ in Inferis constituerunt, ac hos deinceps imitati sunt Scholastici Limbum SS. Patrum in Inferis collocantes.

In-

Interim intacta fide Abrahæ ſinus alibi quoque ſtabiliri poteſt extra Cœlum Empyreum, qui tamen locus ea ratione *Infernus* dici potuit, quia locum indicabat illis excipiendis defunctorum animabus deſtinatum, quæ expectabant retributionem, atque æternam beatitudinem.

QUÆSTIO V.

An *Limbus* Puerorum ſit ab *Inferno* damnatorum loco diſtinctus?

R. Vix fundate defendi poſſe, Receptaculum Puerorum â damnatorum carcere eſſe diverſum, in quam rem ita diſſero: Parvuli ſine Baptiſmo decedentes Adamitica culpa infecti ſunt, ideoque cum Adamo incurrerunt *Cum morte captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diaboli*, ut definitum eſt â Concil. Trid. Seſſ. 5. *de peccato originali.* Hac de cauſa Eccleſia in collatione Baptiſmi Exorciſmos adhibere ſolet, ut hujusmodi cœremonia declaret, parvulos eripi per Baptiſmum de poteſtate Dœmonum, & ad Chriſtum transferri, ut ajebat Auguſtinus *lib. 3. operis imperfecti contra Julianum*, ubi ita concludit c. 20. *Si non eruitur parvulus* (per Baptiſmum) *de poteſtate tenebrarum,*

&

& illic remanet, quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum? Et lib. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 34. fingens parvulum à se baptizari inquit: *Quid in parvulo agit Exorcismus meus, si in familia Diaboli non tenetur?* In eadem fuere sententia plures Summi Pontifices, scilicet S. Cœlestinus in Epist. ad Episcopos Galliæ c. 12. Zosimus Epist. 157. apud S. Augustinum, & S. Gregorius Magnus lib. 26. Moralium c. 20. ac Patres Concilii Carthaginensis A. C. 418. celebrati, qui parvulos nondum baptizatos *Participes fore Diaboli* definierunt, & Concilium 15. Episcoporum in Sardiniam à Thrasamundo Rege Vandalorum Ariano relegatorum, qui rogati à Petro Diacono, nonnullisque Monachis Romæ commorantibus, ut brevem veluti fidei professionem adversus errores illius temporis ad eos mitterent, in lib. inscripto: *De Incarnat. & gratia, de peccato originali* c. 27. hæc scripserunt: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum, sive cum de matribus nati sine Sacramento Sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, origina-*

ginalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt. Audis parvulos non baptizatos sub Dœmonis potestate esse, ac tamdiu in Dœmonis familia manere, quoadusque per Baptismum ex ipsius imperio eripiantur; At qui sub Dæmonis potestate sunt constituti, atque ad ipsius familiam pertinent, in carcere, cui Dœmon præest, manere debent, ut consideranti patet. Et cum aliunde Patrum antea citatorum authoritates adsint, quæ perspicue docent, parvulos istos in loco *suppliciorum, æternorum cruciatuum, tormentorum, gehennæ, ignis æterni*, futuros esse, non video, qua ratione Limbus Puerorum ab Inferno distinctus posset admitti.

Præallegatis Patribus accenseo S. Prosperum *carmine de ingratis*: S. Avitum Viennensem in Gallia Episcopum, qui in carmine ad Fuscinam sororem, *Gehennæ* destinatum ait parvulum per Baptismum non regeneratum; S. Prudentium Episcopum Tricassinum, qui ejusdem *Gehennæ* meminit; S. Isidorum lib. 2. differ. Spirit. n. 26. qui hos in *Æterno igne* futuros asserit; S. Gregorium Magnum, qui lib. 9. Moralium c. 12. ad tormenta perventuros scribit; & S. Anselmum, qui lib. *de Concept. Virg.* & *peccato originali* c. 22. in *Inferno* futuros parvulos non baptizatos asserit. Quæ Patrum

trum asserta clare evincunt, ante duodecimum sæculum non solum incognitum, sed universim quoque improbatum fuisse hunc Puerorum Limbum.

Certe ineptissime fundant Authores Limbum Puerorum ab Inferno distinguentes suum sentimen in verbis Concilii Florentini; hoc enim sess. ult. habet: *Cum peccato mortali, aut cum solo originali decedentes mox in Infernum descendere, dispari tamen pœna puniendos*, hic vero *Inferni* nomen, damnatorum, qui sub potestate Dœmonis sunt, locum indicat. Ubi ergo ex Florentinorum Patrum sententia Limbus est Puerorum?

Inquiunt: Ejusmodi parvulis sola debetur *damni* pœna: ergo proprius eis locus est assignandus, in quo hanc solam luant.

Repono: Plures graves Theologos tum ex supra adductis Patrum sententiis, tum etiam ex eo, quod in Scriptura Sacra homines peccato originali infecti *vasa iræ, & vindictæ* nominentur, & quod in extremo Judicii die ad sinistram Judicis sint locandi; ideoque mittendi *In ignem æternum*, argumentatos fuisse ejusmodi parvulos pœnam quoque sensus subituros. Quidquid sit de hoc, certum, exploratumque videtur omnes eos, qui sub potestate sunt Dœmonis, ac de ipsius familia, in ea futuros Inferni regione, cui Rector tenebrarum

præ-

præeſt, ubi ſicut pro varietate peccatorum diſpares improbi ſuſtinent pœnas, ita parvuli pœnas luent peccato originali debitas, quæcunque illæ ſint futuræ.

QUÆSTIO VI.

Per quid eorum Theologorum Syſtema probatum reddatur, qui hodie quatuor diverſos carceres in terræ viſceribus agnoſcunt, videlicet Infernum, Purgatorium, Limbum Puerorum, & Limbum Veterum Patrum?

℟. Eorum opinionem habere pondus ex Oraculis Clementis VIII. & Benedicti XIV. qui in Conſtit. de Doctrina Chriſtiana populis tradenda incip. *Etſi minime §. 17.* expreſſe habet: *Clementis Papæ VIII. Aliorumque Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, hortamur in Domino, & enixe commendamus, in Doctrina Chriſtiana tradenda adhiberi libellum de Clementis ejuſdem mandato á Cardinali Bellarmino conſcriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, & approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo ſaluberrimo conſilio edi juſſum, ut unus, idemque modus in docendo, & diſcendo Chriſtianam Doctrinam ab omnibus teneretur.* Et in hoc Libello, qui titulum præfefert: *Dottrina criſtiana compoſta per ordine di N. S. Papa Clemente*

mente VIII. dal R. P. Roberto Bellarmino della Compag. di Giesu Card. di S. Chiesa. In declaratione quinti articuli Symb. Apostol. Sic præcisè traditur: *Mà in questo profondo della terra vi sono quatro come grandissime caverne; una per i damnati, che è la più profonda di tutte, e così conviene, che i superbi Demoni, e gli uomini loro seguaci siano nel più basso luogo, e più lontano dal Paradiso, che si possa trovare. Nella seconda caverna, la quale è alquanto più alta, vi stano quelle anime che patiscono le pene del Purgatorio; nella terza, che è anco più alta vi sono le anime di què fanciulli, che sono morti senza battesimo, li quali non patiscono tormenti di fuoco, mà solo la privazione perpetua della felicità; nella quarta, che è la più alta di tutte, stavano le anime de Patriarchi, Profeti, ed altri Santi, che erano morti prima della venuta di Cristo.* Vide etiam S. Thomam adductum in egregio Bullario præclarissimi Ordinis Prædicatorum tom. 2. pag 109. in Constit. 3. Clem. V. incip. *Benedictus Deus.* sub num. 15. ubi sic expressè habetur: *Quadruplex autem est Infernus*, ut docet S. Thomas in 3. dist. 22. q. 2. a. 1. *Damnatorum scilicet, Puerorum, Limbus videlicet Puerorum, purgandorum, seu Purgatorium, & Sanctorum Patrum, Limbus nempe Sanctorum, qui decessérunt*

ferunt ante Christi adventum. In primo sunt tria, scilicet tenebræ gratiæ, tenebræ gloriæ, & pœna sensus. In secundo sola duo prima. In tertio tantum secundum, & tertium. In quarto erit solummodo secundum.

QUÆSTIO VII.

An verus, & realis ignis sit in Inferno?

R. Nullum quidem Definitivum, ut vocant, Ecclesiæ Decretum extare de vero, ac reali Inferni igne, attamen universalis Ecclesiæ consensus satis ostendit, quid sit de hoc cuique tenendum. Hinc ab omnibus Theologis statim rejecta, & explosa fuit Ambrosii Catharini sententia, qui *ignis* vocabulum *allegorice* intellexit, ac designari ea voce voluit in Scriptura *summam aliquam pœnam*, aut *cruciatus omnes á reprobis perferendos*. Quam quidem sententiam alii *hæreticam*, alii *hæresi proximam*, universim autem saltem *erroneam*, ac admodum *temerariam* appellant.

Ex Heterodoxis, qui Inferorum ignem *tropice* explicandum esse censuerunt: primo loco recensetur Origenes, qui teste S. Hieronymo in Epistola ad Avitum, *in sola conscientia peccatorum* Inferorum supplicia posuit. Non defuere tamen, qui Origenem

nem ab hujusmodi errore vindicare conati sunt, præsertim S. Pamphilus Martyr in apologia pro eodem scripta, in qua loca nonnulla ex Origene deprompta affert, quæ indicare videntur externam quoque intolerabilem Damnatorum pœnam: Sed quidquid sit de Origene, illud certum est, plures postea Origenis discipulos ansam arripuisse ex iis, quæ ille in *Periarchon* scripserat, promovendi sententiam *de igne metaphorico.* Hanc eandem sententiam docuit deinde Calvinus, ac postea Calvini discipuli Theodorus Beza, Lambertus Danæus, Junius, Filenus, & Reinoldus.

Nemo autem confidentius hanc sententiam proposuit, quam nuperus Theologus Berolinensis, quem laudat, ac sequitur Franciscus Roches Pastor Genevensis Epist. 37. is enim, postquam asseruit, verum, ac proprie dictum non esse ignem in Sacris Litteris ad puniendos impios denunciatum, subjicit: *Jam diu consensisse homines, aut Theologos Scripturæ verba de hoc igne prolata in sensu metaphorico accipienda esse, adeo, ut ignis ille ferme extinctus fuerit.* Sed quis Hæretici hominis impudentiam non execretur? Ignis semper meminit Scriptura, ut omnes fatentur. Ignem hunc materialem esse non solum Christiani omnes, sed etiam Judæi, & Mahometani semper docuere;

cuere; qui vero hunc *metaphorice* interpretari voluerunt, fuerunt ſtatim ab univerſo Eccleſiæ cœtu reprehenſi, atque damnati, id, quod ex Origenianis conſtat antiquis Eccleſiæ ſæculis hanc ob cauſam univerſim improbatis. Patet item ex Calvino, ejusque diſcipulis, quos vel ipſi Novatores hanc ob rem irriſerunt, & confutarunt. Conſtat denique ex cenſuris Ambroſii Catharini opinioni à Theologis adjectis.

Petes. Cujus naturæ, & proprietatum ſit ignis infernalis, qui Dœmones, & homines damnatos torquet?

℟. Gehennalem ignem ejuſdem eſſe naturæ cum noſtro vulgari, ſolumque quibusdam proprietatibus, aut qualitatibus differre: nimirum, ut ex Sacris Litteris, & Eccleſiæ Patribus liquido conſtat, quod inextinguibilis ſit, quod non luceat, luce ſaltem clara, & perſpicua, quod non corpora tantum, ſed ſpiritus etiam corporis expertes cruciet, quæ omnia nec exigunt, nec arguunt naturæ diverſitatem.

Ad materiam ejus, quod ſpectat, dico, eam certo definiri haud quaquam poſſe, nec tamen exinde ejus exiſtentia valet negari, cum Deus ex quacunque, quæ ſibi magis placuerit, materia fornacem illam accendere potuerit, atque accenſam perpetuo conſervare.

Quidam tamen non improbabiliter censent, materiam illius ignis saltem præcipuam esse sulphur; idque colligunt ex nonnullis Apocalypseos locis, nam c. 19. legitur: *Vivi missi sunt hi duo Viri in stagnum ignis ardentis sulphure.* Et c. 20. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris,* Item c. 21. de impiis omnibus dicitur: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* In his quippe locis de futuræ vitæ suppliciis agi indubitatum est; cum igitur diserte afferatur ignem illum ardere sulphure, jure inferri posse videtur, materiam ejusdem saltem præcipuam esse sulphuream.

QUÆSTIO VIII.

QUo pacto ignis materialis, & corporeus agat in animas, & substantias immateriales?

R. Gehennæ ignem torquere spiritus damnatos modo quodam inenarrabili, ut inquit Lactantius, non absimili modo, quo vulgaris ignis agit in animam spiritualem, dum corpori conjuncta est. Scimus enim certissime, immaterialem animam uniri corpori, vitam ipsam communicare, suppliciis corpori inflictis affici &c. licet modum, quo hæc contingant, ignoremus.

Igi-

Igitur modus etiam, quo animæ à corpore ſejunctæ, vel ſpiritus incorporei, corporeo Inferni igne afficiantur, poterit eſſe ineffabilis. Hinc Joannes Clericus ſub nomine Petri Alethini, licet de veritate ignis materialis dubitanter loquatur, fatetur tamen hocce argumento neminem ad illum abnuendum induci debere, eodem ductus exemplo animæ noſtræ in hoc corpore exiſtentis; ſic enim ſcribit in Notis ad c. 6. lib. 3. P. Petavii de Angelis: *Non negaverim, ignem fore corporeum, eo, quod ſpiritus illo ſint torquendi. Hoc enim intellectu difficilius non eſt, quamvis aliter ſentiat Petavius, quam intelligere, qui motus corporis noſtri mentem noſtram incorpoream, qualis vulgo ſtatuitur, afficiant. Scio dicturum, qui hæc legerit, mentem eſſe cum corpore in unam perſonam conjunctam, ideoque corporis motibus neceſſario percelli. De re ipſa hic philoſophari nolo. Sed quemadmodum mentes immateriales Deus ita cum corporibus conjunxit, ut motibus ipſorum afficerentur; ſic in loco pœnarum novis legibus rerum naturis impoſitis efficere poſſet, ut ſpiritus igne conſpicuo urerentur.* Hoc animæ noſtræ exemplum late etiam proſequitur inter alios Auctor Reflexionum in Hiſtoriam Judæorum Tom. 3. pag. 326.

Libet & S. Augustinum audire lib. 21. de Civ. Dei c. 10. ubi quæstionem hanc proponit inquiens: *Hic occurrit quærere, si non erit ignis incorporalis, sicut est animi dolor, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum? idem quippe ignis erit, scilicet hominum attributus, & Dæmonum dicente Christo: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Et in medium prolata sententia tum eorum, qui Dæmonibus aërea quædam corpora tribuebant, tum aliorum, qui eos omnis materiæ expertes faciebant, subdit juxta horum decretum: *Non est de hac re laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum; cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?*

QUÆSTIO IX.

Quomodo Nostrates Theologi explicent actionem ignis corporei in animas damnatas tamquam substantias spirituales?

R. Scotiſtas cum ſuo Doctore 4. Diſt. 44. q. 2. §. *ad quæſtionem* n. 5. aſſerere, quod ignis Infernalis cruciet Dœmones, vel animas ſeparatas Damnatorum per *detentionem*, & *alligationem*. Torquet per *detentionem localem*, qua ignis Dœmones detinet inſtar carceris pœnalis. Torquet per *alligationem intentionalem*, vi cujus intellectus Dœmonum alligatur continuo igni Infernali, ceu objecto ſibi plurimum diſconvenienti perpetuo conſiderando, ita quidem, ut à tali conſideratione Dœmon nunquam ceſſare poſſit. Fit autem tortura iſta tali modo. I. Fit à Deo iſta *alligatio* per aliquod irrevocabile decretum. II. Diabolus illam cognoſcit, & quidem perpetuo duraturam. III. Ex intrinſeco affectu pro libito occupandi hunc, vel illum locum, & cognoſcendi hoc, vel illud objectum, ſumme odit iſtam *detentionem*, & *alligationem*, præſertim, quia ſcit eas à Deo Juſto peccatorum ſuorum Vindice ordinatas. IV. Tandem ex hac duplici *alligatione* cognita, & nolita oritur in voluntate damnati ſumma quædam deſperata triſtitia. Quare in hoc ſiſtemate cruciatus ignis Infernalis erga Dœmones, & animas ſeparatas Damnatorum non tam phyſicus, quam intentionalis, realis tamen, ſeu vere à parte rei talis eſt.

Petes. An hic Infernalium Spirituum cruciatus sit Sacris Scripturis conformis?

℟. Pœnam ab igne Inferni spiritibus Damnatorum illatam, esse pœnam *detentionis*, & *alligationis*, non obscure eruitur ex Apocalypsi 20. ℣. 2. & 3. *Et apprehendit* (Angelus) *draconem . . . qui est Diabolus, & Sathanas, & ligavit eum per annos mille: & misit in abyssum;* ubi audis, cruciatus Dœmonum in Inferno explicari per vincula, & *detentionem*, ac *alligationem*. In Epistola Catholica S. Judæ Apostoli dicitur: c. 1. ℣. 6. *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Isaj. 24. ℣. 22. *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere.* Trenorum 3. ℣. 6. *In tenebrosis collocavit me, sicut mortuos sempiternos, ut non egrediar, aggregavit compedem meum.*

QUÆSTIO X.

Quî fieri possit, ut corpora Damnatorum non dissolvantur, nec consummantur, si ignis Infernalis in illa agit, eaque urit?

℟. Hanc difficultatem accurate expendi à S. Augustino disputante adversus Gentiles lib. 21. de Civ. Dei, ubi multa fuse de

de hoc argumento differit, in brevem autem summam redacta hæc sunt: ibidem c. 2. ostendit, *Corpora in ustione ignis esse posse perpetua.*, idque declarat exemplo aliquorum animalium, quæ in mediis ignibus vivere perhibentur. Hinc. c. 3. probat: *Consequens non esse, ut corporeum dolorem necessario sequatur carnis interitus: id quidem verum est* (docet ille) *de corpore in hoc corruptibili statu posito, quoniam sic est anima connexa huic corpori, ut summis doloribus cedat, atque discedat, quoniam & ipsa compago membrorum, atque vitalium sic infirma est, ut eam vim, quæ magnum, vel summum dolorem facit, non valeat sustinere. Tunc autem tali corpori anima & eo connectetur modo, ut illud vinculum, sicut nulla temporis longitudine solvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiamsi caro nunc nulla est, quæ sensum doloris perpeti possit, mortemque non possit, erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non est: sicut talis erit tunc & mors, qualis nunc non est.* Tum c. 4. id pluribus exemplis naturalibus confirmat. Et c. 5. decernit, quod tametsi modum ignoremus, quo ignis corpora sine eorum consumptione comburit, non ideo hoc in dubium vocandum esse; quandoquidem multa sunt in rebus naturalibus certissima, de quibus tamen reddi ratio nulla potest, quorum nonnulla

profert. Et soluta c. 6. quadam objectiuncula, quam inde Gentiles conficere poterant, c. 7. & 8. concludit: Omnipotentiam Dei, *Qui fecit mundum in Cœlo, in terra, in aëre, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, cum sit omnibus, quibus plenus est, procul dubio majus, & excellentius etiam ipse mundus miraculum, posse facere, ut & resurgant corpora mortuorum & igne æterno crucientur corpora damnatorum.* Hæc Augustinus.

Deinde sic: Philosophi plerique consentiunt, calorem, aut ardorem produci per vehementem, concitatumque partium corporis motum, ipsumque ignem corpora calefacere, ac comburere, cum in ea imprimit hujusmodi motum vehementem, & concitatum vibrationis, aut vertiginis, vel expansionis. Quod igitur pleraque corpora ita agitata tandem consummantur, id ideo fit, quia ex vehementi motu ab invicem separantur, ac difflantur, exiguæ primum, deinde aliæ resolutæ partes, quæ corpora ipsa componunt. Quare si nullas partes dissolvi, aut à corpore separari contigerit, calidum illud, & ignitum inter flammas consistet citra ullum interitum, aut consumptionem: quemadmodum etiam naturaliter hoc accidere in quibusdam corporibus experientia deprehendimus. Manifestum est enim, aurum e. g. in arden-

ti fornace vexatum, & liquatum insigniter calescere, quin tamen absumatur, aut quidpiam primævi ponderis amittat; quia videlicet per agitationem, & motum nihil à tota mole sejungitur, aut evaporatur. Quod ergo naturaliter contingit in auro, intelligi potest, ac debet divina virtute futurum in humanis corporibus, ut nova nimirum in ipsis lege constituta Tartarei ignis actione vehementissime concutiantur, & agitentur fibræ eorum, ac partes, quin tamen separentur, aut ipsorum textura dissolvatur.

Petes. Qua ratione Reprobi ab igne Tartareo inæqualiter crucientur, cum tamen ignis iste omnes æqualiter afficiat, & naturaliter operetur?

℟. Cum S. Gregorio Magno: *Sicut in hoc mundo sub uno Sole multi consistunt, nec tamen ejusdem Solis ardorem æqualiter sentiunt; quia alius plus æstuat, atque alius minus: ita illis in uno igne non unus est modus incendii, quia, quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut & ignem non dissimilem habeant, eosdem singulos dissimiliter exurat.*

Verum hæc responsio *moralem* potius, sive *meritoriam*, quam *physicam* causam declarat, cur non una, eademque vi, & impressione omnes Damnatos Inferni ignis torqueat,

queat: unde aptius respondetur dicendo: ignem illum corporeum, aut juxta quosdam esse causam mere *occasionalem*, aut juxta saniores alios *instrumentalem* Divinæ Justitiæ Vindicis, ac tamquam Dei instrumentum vim, & actionem suam in Damnatos exercere, atque adeo à Causa *Principali* assumi posse ad majus, minusve tormentum inferendum. Deus enim, qui demeritorum inæqualitatem perfecte cognoscit, ita ignem illum movet, & applicat, ut acrius in alios, in alios autem mitius operetur. Quod nemini mirum videri debet, cum & inter nos conspicua sit hujus diversæ actionis experientia: videmus enim à voluntate unum, idemque instrumentum adhibentis sæpe pendere, quod majorem, minoremve ictum imprimat, aut percussionem.

QUÆSTIO XI.

An Damnati præter ignis pœnam alia quoque tormenta sustineant?

℟. Quamvis in Inferno præter pœnam *ignis* alia tormentorum genera enarret Scriptura: scilicet pœnam *Vermis*: Judith c. 16. ℣. 21. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.* Marci 9. ℣. 43. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Pœnam

Te-

Tenebrarum, *Fletus*, & *Stridoris* dentium. Apocalypseos c. 18. ℣. 9. *Plangent, cum viderint fumum incendii ejus.* Matth. c. 2. ℣. 18. *Ploratus, & ululatus.* Et c. 8. ℣. 12. *Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Pœnam *Famis* Psal. 58. ℣. 15. *Famem patientur ut canes.* Pœnam nimii *Caloris*, & nimiæ *Frigiditatis.* Job. c. 24. ℣. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad Inferos peccatum illius.* Pœnam *Fœtoris*: Ezech. c. 32. ℣. 6. *Irrigabo terram fœtore.* Isai c. 3. ℣. 24. *Erit pro suavi odore fœtor.* Ezech. c. 32. ℣. 3. *De cadaveribus eorum ascendet fœtor.* Pœnam *Draconum*, & *Aspidum:* Deut. c. 32. ℣. 35. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum.*

Nemo tamen in hac mortali vita scire potest determinate, & adæquate absque speciali revelatione, quænam, & quot sint Damnatorum supplicia, id quod communiter S. S. Patres, & Theologi docent cum D. Augustino lib. 1. *de triplici habitaculo* c. 1. ubi de pœnis Inferni loquens ait: *Mala autem Inferni dicere, vel cogitare, ut sunt, nemo potest, pejora quippe sunt valde, quam cogitantur.* Et infra subdit: *Locus Inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis*

ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest. Tandem paulo inferius subjungit, quod in Inferno nihil inveniatur, quod desideratur, nihil videatur, nihil sentiatur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat: & concludit, quod *omne malum abundet in carcere Diaboli, & nullum bonum.* Et in Evangelio ipso Luc. 61. ℣. 28. vocatur Infernus *locus tormentorum.* ubi Hugo Card. sic habet: *Bene dicit locum tormentorum, ubi omnia genera tormentorum sunt congregata.*

Petes. An Homines Damnati post Judicium Universale etiam quoad corpora sint igne cremandi?

℟. Certius esse Damnatos torquendos ab igne non solum actione *reali intentionali*, sed etiam *actione reali physica*, id est, ignis post judicium revera uret corpora Damnatorum, quamvis ea neque comburet, neque corrumpet: iste enim dicendi modus conformior est Sanctorum Patrum dictis, & ipsius Sacræ Scripturæ sensui ubique dicentis Damnatos igne Inferni cruciandos: ignis autem proprie non cruciat, nisi *physice*, & *effective* Damnatorum corpora calefaciendo, ignefaciendo, & dolorem intensissimum juxta peccatorum gravitatem, & quantitatem causando.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

Utrum Anima Christi revera descenderit ad Inferos? & an iste descensus Christo gravis fuerit, & acerbus?

℟. ad I. Christi Animam revera, & reipsa descendisse ad Inferos, quo factum est, ut ejus Anima illinc præsens fuerit. Unde D. Augustinus Epist. 99. inquit: *Secundum creaturam eam, quam ex quodam tempore suscipiendo manens, homo factus, hoc est secundum animam eum fuisse apud Inferos aperte Scriptura declarat, & per Prophetiam præmissa, & per Apostolicum intellectum satis exposita, qua dictum est: non derelinques animam meam in Inferno.* Id ipsum docuit Lateranense Concilium sub Innocentio III. in cap. *firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica: non ergo meretur assensum Durandi opinio in 3. Sect. dist. 22. ubi vult: Christi animam ad Inferos descendisse, *secundum effectum, & operationem, quam in illo Divinitas, sive Anima Christi sit operata.*

℟. ad II. Nihil acerbitatis Christum sensisse ex suo ad Inferos descensu; quia anima peccati expers, & corpore soluta pati amplius nihil potest. Tum quia, si ex retardato ad Cœlum ascensu quidpiam doloris, & molestiæ Christus accepisset, mul-

to

to graviorem accipere debuisset molestiam in illo quadraginta dierum spatio, quod inter Resurrectionem, & Ascensionem interjectum est, quod nemo adhuc dixit, ut notat Sylvius in 3. p. D. Thom. q. 52. a. 1. adeoque.

Petes. An Christus in omnibus Inferni locis præsens fuerit?

R. Cum D. Thoma 3. p. eadem quæst. 52. a. 2. Christi Animam per essentiam suam descendisse ad illum locum, qui Limbus dicitur, seu sinus Abrahæ, ubi Patriarchæ, & Justi ante Christum mortui detinebantur; non autem per suam essentiam, sed per suum effectum descendisse ad Infernum æternaliter Damnatorum, & ad Purgatorium, ubi animæ cruciabantur eorum, qui amici quidem Dei mortem obierant, sed nondum temporalibus pœnis Divinæ Justitiæ satisfecerant, & reprobos quidem de eorum incredulitate, & malitia coarguisse, qui vero in Purgatorio erant, iis spem consequendæ gloriæ dedisse.

QUÆSTIO XIII.

Quid Justorum animabus Christi ad Inferos descensus contulerit? an animas in Purgatorio detentas, & Pueros cum originali peccato defunctos liberaverit?

R. ad

R. Ad I. S. Augustinus Epist. 164. ad Evodium tom. 2. Op. col. 476. §. 8. se id nescire fatetur: *Illis Justis, qui in sinu Abrahæ erant, cum ille* (Christus) *in Inferna descenderet, nondum quid contulisset, inveni, à quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ Divinitatis nunquam video recessisse.* Verum lib. 20. de Civ. Dei c. 15. tom. 7. Op. præcit. edit. col. 593. scribit: eorum animas in Inferno, id est, Sanctorum Patrum Limbo, fuisse ab omni prorsus pœna sensus exemptas, acerrimo tamen inde abeundi desiderio fuisse accensas, ut Paradisi gloriam assequerentur. *Non absurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud Inferos fuisse, donec inde eos Sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret.* His attentis

Communiter respondetur ad quæsitum: Sanctos Patres, etsi ab originali labe, & omni peccato actuali, atque etiam ab omni reatu pœnæ pro peccato actuali liberati essent per fidem Christi, non tamen â reatu pœnæ originalis peccati fuisse absolutos, propter quem reatum humanæ redemptionis pretio necdum persoluto, â vita gloriæ excludebantur eo prorsus modo, quo Christi fideles per Baptismum â peccatorum, quæ commiserunt, & etiam â peccati ori-

ginalis reatu, quantum ad exclusionem pertinet â gloria, absolvuntur, adhuc tamen manent obligati reatu peccati originalis, quantum ad necessitatem moriendi. Quapropter si Sancti Patres in sinu Abrahæ nondum erant â peccati originalis pœna liberati, Christus descensu suo ad Inferos duo illis contulit beneficia, unum, quod iis beatificam visionem attulerit; alterum, quod eorum animas ex illo loco eduxerit, ut optime de hac re tota disputat S. Thomas 3. p. q. 52. a. 5.

R. ad II. Cum S. Thoma loc. cit. a. 8. eas Purgatorii animas, quæ Divinæ Justitiæ jam satisfecerant, & nihil in iis erat reliquum, ut purgaretur, de Purgatorio esse eductas. Illas item, quæ pio quodam erga Christi Passionem affectu meruerant, ut descendente Christo ad Inferos pœnis temporalibus Purgatorii absolverentur. Num vero in Christi ad Purgatorium descensu omnes animæ ex eo fuerint liberatæ, dubium est. Negat Tostatus Paradoxo 5. c. 118. S. Thomas 3. p. q. 52. a. 8. Affirmat cum S. Bonaventura Anselmus, qui in Elucidario ex illo textu Isai. c. 49. *Dedite - - - - ut diceres eis, qui vincti sunt, exite, & his, qui in tenebris, revelamini*, arguit in Christi descensu totum Purgatorium fuisse evacuatum.

R.

℟. ad III. Iterum cum D. Thoma loc. cit. a. 7. Ejuſmodi Parvulos non fuiſſe liberatos, eos enim Chriſtus liberavit, qui ſibi per fidem, & charitatem erant conjuncti, Pueri vero, qui liberi arbitrii uſu non pollebant, nec per fidem Parentum, aut per aliquod fidei Sacramentum â peccato originali erant mundati, filii erant iræ, & vaſa contumeliæ. Quapropter Affricani Epiſcopi in Sardinia exules in Epiſtola Synodica ſcribunt: *De Parvulis indubitanter tenenda Catholicæ religionis regula veritatis, quia Parvulus, qui baptizatur, gratuita Dei bonitate ſalvatur, qui vero ſine Baptiſmo moritur, propter peccatum originale damnatur.*

Petes. An Chriſtus deſcendens ad Inferos liberaverit aliquos ê Veteribus Philoſophis?

℟. Si Philoſophi illi in carcere Damnatorum recludebantur, Catholica docet Fides, eos inde per Chriſtum non fuiſſe ereptos; quia ex Inferno nulla eſt redemptio. Nec ſolida occurrit ratio, cur affirmemus, liberatos ex Inferno fuiſſe Philoſophos illos, qui vel nullam in Chriſtum habuerunt fidem, vel ſi aliquam implicitam habuere fidem, nullam tamen habuerunt conformitatem ad Chriſti patientis charitatem, ut ait D. Thomas loc. cit. a 6. Petavius autem Theolog. Dogmat. lib. 13. c. 18. n. 13.

appositè ad rem ita loquitur: *Quamvis nonnulla præclarè ab illis dicta, factaque legantur, quæ videntur indicia multarum esse, magnarumque virtutum, tamen & ipsa non expressa, neque solida erant, sed adumbrata, & ad verborum speciem efficta, tum multo pluribus, iisque certis, & turpissimis flagitiorum notis dedecorata sordebant.* Et Thomasinus Theolog. Dogmat. tom. 2. lib. 4. c. 9. in fine ait: *Nil tutius, nil sapientiæ, & sobrietatis regulis accommodatius, quam communi fidelium sensui, & credulitati adhæresçere, liberatos scilicet â Christo non Philosophos, non quoscunque alios, nisi qui in gratia, & amicitia Dei ê vivis excessissent.*

Pulchram Calmetus dissertationem edidit, num Ethnici, quibus lex Moysis, aut Evangelium incognita fuere, potuerint æternam salutem consequi? & ostendit Sanctos illos ante legem Moysis puta Seth, Noe, Melchisedech, qui fidei lumine Deum cognoverunt, & puro, religiosoque cultu, & innocentia vitæ coluerunt, salutem æternam adeptos; Philosophos verò, qui naturali lumine Deum habuere cognitum, tantoque beneficio abusi ejus opem non implorarunt, sed fœdo Idolorum cultui adhæserunt, corruptisque moribus se commacularunt, inter quos Socrates, Plato, Seneca, neque salutem æternam consecutos, neque â Christo ad Inferos descendente fuisse liberatos. QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

An ſupplicia Inferni ſint ſine fine duratura?

℟. Damnatos in Inferno æternis pœnis cruciari Dogma eſt in Eccleſia Catholica ſemper creditum; ſane ſi Sacrarum Litterarum ſpectetur authoritas, Inferni pœnas æternas eſſe certiſſimum eſt. *Diſcedite â me maledicti in ignem æternum*, Chriſti apud Matth. c. 25. ℣. 41. verba ſunt, quibus ſententiam â Divino Judice in peccatores ferendam declarat. *Qui non obediunt Evangelio, pœnas dabunt in interitu æternas*, teſtatur Paulus ſcribens ad Theſſalonicenſes c. 1. ℣. 8. & 9. Et ne quis iſta de longiore tantum tempore, non autem de vera, & propria æternitate dicta exiſtimaret, Iſaias c. 66. ℣. 24. de Damnatis ait: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Salvator ipſe Matth. c. 3. ℣. 12. poſtquam paleas, ſeu Reprobos â tritico, ſeu Electis, in judicio ſeparandas edixit, mox addit: *Paleas autem comburet igne inextinguibili.* Et rurſum Matth. c. 25. ℣. 46. poſt allatam, quæ in Reprobros feretur, ſententiam, continuo ſubdit, *Et ibunt hi in ſupplicium æternum.* Audiantur etiam Conciliorum, & Sanctorum Patrum teſtimonia. Conſtantinopolitanum II. idque

Oecumenicum damnavit errorem Origenis pœnarum Inferni æternitatem negantis. Lateranense IV. & Tridentinum ambo pariter Oecumenica docuerunt, impios in Inferno æternis pœnis cruciandos esse: *Pœna eorum, qui non credunt verbo Dei, non solum temporalis, sed & æterna facta est.* Irenæus ait: *Quod de sempiterno supplicio per Prophetam Deus dixit* (Augustini verba sunt) *fiet omnino: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Quis* (Magni Leonis est testimonium) *quis mala nunquam finienda non timeat?* Deinde arguo sic: Anima hominis immortalis in eo statu æternum futura est, cui eam justissimus Judex in judicio adjudicabit; neque enim prolata ab hoc Judice sententia mutari amplius poterit, quando post hanc vitam lethalis culpa expiari, aut remitti amplius non potest, sed quæ in mortali peccato ex vita hac migrant animæ, â justissimo Judice adjudicabuntur Inferno, ac suppliciis: igitur hæ animæ in Inferno, & suppliciis æternum sunt futuræ.

Solvitur Libertinorum Objectio.

Non videtur (ajunt illi) Divinæ consentaneum Bonitati, ut malos æternis puniat suppliciis; quid enim inde Deus vo-

lupta-

luptatis, quid gloriæ, quid utilitatis habet, aut habere poteſt, ſi, quos creavit, æternum miſeros, ac infelices eſſe velit? neque videtur æquum, ut peccatum ab homine fragili commiſſum, ut voluptatem unius momenti pœnis ſine fine duraturis vindicet.

Repono: Quærendo ex Libertinis: An poſſit Deus non odiſſe hominem malum, quamdiu malus eſt? an infinita ejus Sanctitas admittat, ut talem odio non habeat? certe, niſi Deum ipſum infinite bonum, & ſanctum, adeoque Deum eſſe negent, fateri debent, quod non poſſit non odiſſe malum, quamdiu malus eſt, & eſſe perſeverat. Nunc quæro ulterius ex ipſis: qui odio non ſolum dignus eſt, ſed etiam odio haberi debet, ita, ut odium erga illum deponi non poſſit, eſtne dignus pœna, vel non? poteſtne ſalva juſtitia, & æquitate Judicis tamdiu puniri, quamdiu odio dignus eſt, & odio haberi debet, quamdiu hujus odii cauſam non tollit? hoc profecto negare nemo poteſt; unde quæro ultra: Manetne peccator tamdiu malus, quamdiu malitiam, & perverſam ſuam voluntatem non corrigit, non retractat? quid ad hoc? poteſtne negari? utique non. Idcirco quæro amplius: Poteſtne peccator in peccatis, & malitia ſua moriens poſt

mortem malitiam, & perversam voluntatem suam retractare, & corrigere? non potest; resipiscendi, & agendi pœnitentiam tempus est elapsum. Igitur peccator in peccatis moriens in æternum est malus, in æternum malus esse perseverat, in æternum malus esse non desinit, nec desinere potest: igitur Deus illum in æternum odisse debet; igitur non potest illum non in æternum odisse: igitur salva sua æquitate, salva justitia potest illum, si velit, in æternum punire: hoc illi jus negari nec debet, nec potest: quin potius ejus Justitia exigit, ut talem in æternum puniat.

QUÆSTIO XV.

Quid de illis Historiis censendum, quæ referunt Trajanum Imperatorem, & alios Gentiles, ac peccatores fuisse per Apostolos, & alios Sanctos de Inferno eductos?

℟. Circa hoc variare Doctores. Sanctus enim Joannes Damascenus *in Oratione de mortuis* dicit: Orationibus S. Theclæ liberatam fuisse de Inferno animam Falconillæ cujusdam fœminæ Paganæ; & orationibus S. Gregorii Papæ animam Trajani Imperatoris: quod de anima Trajani Imperatoris refert, & ad longum probat Abulensis

lenſis in lib. 4. Regum q. 57. Alphonſus Ciaconius in Apologia hiſtoriæ Trajani, & alii plures. In vita ſancti Nicolai de Tolentino legitur, ejus precibus liberatam fuiſſe ab Inferno animam ſui Conſobrini. S. Gregorius lib. 1. Dialogorum c. 12. ſcribit à S. Severo excitatum fuiſſe quemdam virum peſſimum, qui à Dœmonibus in Infernum deducebatur. Ægeſippus lib. 3. c. 2. refert beatum Petrum excitaſſe Affinem quemdam Cæſaris Ethnicum à morte. S. Ambroſius ſerm. 90. & Maximus ſerm. 2. de S. Agnete ſcribit ab ea excitatum filium Præfecti, qui in peccato mortali obierat. Evodius lib. 1. de miraculis S. Stephani aſſerit, Puerum mortuum ante Baptiſmum ad Reliquias S. Stephani fuiſſe excitatum, & de multis aliis Gentilibus, & Paganis eductis de Inferno per Apoſtolos, & Viros Sanctos Novi Teſtamenti probat Abulenſis loc. cit. dicens: multos ex illis, qui erant per ſententiam definitivam damnati, ex Inferno eductos fuiſſe per Apoſtolos, & Viros Sanctos revocando animas eorum ad corpora, ut pœnitentiam agerent, & ſalvarentur.

Melchior Canus autem lib. 11. de Locis Theologicis c. 2. abſolute improbat Hiſtoriam de Trajano Imperatore ut confictam. Dominicus à Soto in 4. Diſt. q. 2. a. 2. &

alii plures, ut incredibilem tenent hanc Trajani Historiam, in quorum sententiam se magis propendere fatetur eruditissimus Bellarminus Tom. 2. de Controvers. lib. 2. c. 8. de Purgatorio, variis rationibus probans librum illum referentem hanc Trajani Historiam non esse Damasceni.

Interim si concederetur etiam præcensitas Historias esse veras, tenendum esset, nec Trajanum, nec alios Gentiles, & peccatores fuisse damnatos absolute, & per sententiam definitivam ad Infernum, sed cum mererentur pœnas æternas, fuisse suspensam eorum absolutam, & definitivam æternalem sententiam propter prævisas S. Gregorii, & respective aliorum Sanctorum preces, & interim per sententiam interlocutoriam fuisse punitos in Inferno secundum præsentia eorum demerita. Nec immediate ex Inferno ad Cœlum transiisse, sed prius fuisse suscitatos, & tunc Gentiles baptizatos, & peccatores confessos pœnitentiam in hac vita egisse, & sic salvatos fuisse.

QUÆSTIO XVI.

Quid nomine *Portæ* Inferorum veniat?

R. Cum

℟. Cum frequentior in Scripturis de Inferorum *Portis* recurrat mentio, de his aliquid dicendum videbatur. Rex Ezechias in ſuo Cantico depingens ſtatum, quo redactus fuerat in anguſtia morbi ſui: *Ego dixi in dimidio dierum meorum: vadam ad Portas Inferi.* Dominus noſter JEsus Chriſtus Matth. c. 16. ℣. 18. Eccleſiæ ſuæ ſpondet: *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Qua phraſi idem facile innuitur, ac in Pſ. 9. ℣. 15. illud: *Qui exaltas me de portis mortis.* Et Pſal. 106. ℣. 19. *Appropinquaverunt uſque ad portas mortis.* Et Sap. c. 16. ℣. 13. *Deducis ad portas mortis.* Hebræi exhibebant Mortem, Sepulchrum, Inferos, ceu Regionem, quo ex univerſo orbe homines novam alteram vitam acturi confluerent, idque conformiter ad ideam, qua illi tenebantur de ſede Veterum Gigantum, de quibus quamdam Reipublicæ ſpeciem ſub terra fabuloſe componebant. Rurſum

Infernus juxta Mahometanos ſeptem inſtruitur *Portis*, ſingulis vero illis ſuum eſt peculiare ſupplicium. Prior aditus ille eſt, ubi Muſulmani rei commiſſi criminis pœnas dabunt. Secundus Chriſtianis torquendis deſtinatur. Tertius Judæis. Quartus Sabiis. Quintus Magis, vel Guerbis cultoribus ignis. Sextus Paganis, & Idololatris. Septimus, qui profundiſſima abyſ-

ſus

sus, locus est Hypocritarum, exteriorem tantum Religionis personam simulantium. Alii nomine septem illarum Portarum designata credunt septem peccata capitalia; alii septem potissima membra hominis, quæ sunt ad peccatum instrumenta. Nunc

℟. Juxta anteriorem expositionem idem esse *Portas Inferi* adversus aliquem prævalere non posse, ac *interitui, destructioni,* & *morti* obnoxium illum non esse, cum allegoria ista nomine *Portæ mortis*, & *Inferi*, veluti ingressum designare videatur animæ in locum mortuorum, ac ejusdem ex hac vita transitum. Ex quo facile intelligitur, quam apte Christus Dominus eadem usus sit allegoria in citato Matthæi Capite, ut innueret Ecclesiam suam supra Petram fundatam perpetuam, ac indefectibilem esse. Hac attenta allegoria Patres per Inferni portas, errores, & Hæresiarchas intellexere, per quos spiritus nequitiæ Ecclesiam Christi dilacerare, atque destruere conatur; Hinc S. Epiphanius in Ancor. n. 9. inquit: *Portæ Inferi sunt hæreses, & Hæresiarchæ*, & in Epistola Encyclica Octavæ Generalis Synodi post relata verba: *Portæ Inferi non prævalebunt* hæc habentur: *Multoties alias Inferi Portas apertas contra Ecclesiam, & devorare eam tentantes obstruxit, contrivit, atque destruxit, hæreticas videlicet opiniones,*

&

& iniqua conamina, quæ in præteritis generationibus per ſua tempora ſunt exorta, ſed nihilominus, & inſtantibus temporibus Inferno proprium os aperiente, & dilatante protector factus eſt Chriſtus &c.

Petes: Cujus generis fuerit arbor, ad quam Judas Proditor ſe ſuſpendit?

R. Ficum fuiſſe ait Juvencus:

Exorſusque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas
Infamem rapuit ficus de vertice mortem.

Et ſi Quareſmio fides habenda ſit Elucidat. Terræ Sanctæ Tom. 2. lib. 4. c. 21. Quinquaginta annis, antequam ille in eas ſe contuliſſet Regiones, prægrandis oſtendebatur ficus, ad quam Senes narrabant, ſeſe Judam ſuſpendiſſe: eam vero, cum ipſe eſſet in Terra Sancta, arefactam eſſe, ac cœſam.

Diſſertatio IX.

DE

PURGATORIO.

UNiverſus recte credentium Cœtus in ea eſt fide, ſemperque fuit præter *Inferni* pœnas, dari Luſtralem Carcerem

rem, in quo anima culpæ veniali, vel pœnæ temporali obnoxia, & in tali statu decedens detinetur, quoadusque novissimum solvat quadrantem; nec enim Cœlo inferri potest, quo non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. Apocal. c. 21. ℣. 27. Nec ad tartareas condemnari valet pœnas, quæ in levem tantum culpam non desæviunt, nec ob solam pœnam temporalem constituta sunt; unde in damnum suum rident Hæretici exsibilantes piaculares has flammas, quia negantibus eas non supereſt, nisi Infernus.

QUÆSTIO I.

Quibus fundamentis innitatur Purgatorii exiſtentia?

℟. I. Dari Purgatorium, in quo animæ à reatu venialis, & mortalis quoad culpam jam dimissi peccati necdum plene expurgatæ pleniſſime purgantur, probatur I. Isaiæ c. 4. ℣. 4. habetur: *Si abluerit Dominus sordes Filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, & spiritu ardoris*, ubi alii legunt: *Purgabit Dominus sordes Filiarum Sion, & sanguinem mundabit de medio eorum in spiritu*

ritu judicii, *& ardoris.* Quem locum de animabus, & pœnis Purgatorii intelligit cum Bellarmino, & Maſtrio S. Auguſtinus *lib. 20. de Civ. Dei c. 25.* Michææ c. 7. ℣. 8. dicitur: *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi, conſurgam cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt; iram Domini portabo, quoniam peccavi ei: donec cauſam meam judicet. & faciat judicium meum, educet me in lucem, juſtitiam ejus videbo.* Quem locum afferri ſolitum pro Purgatorio docet S. Hieronymus in cap. ult. Iſaj. & Gloſſa Ordinaria exponit: *Iram Domini portabo hic, vel in Purgatorio.* Malachiæ c. 3. ℣. 2. legitur: *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos* &c. Quem locum exponunt de pœna purgatoria Origenes *Homil. 6. in Exod.* S. Ambroſius *in Pſal. 36.* S. Aug. *lib. 20. de Civ. Dei c. 25.* S. Hieronymus in hunc locum, & Bellarminus de Purgatorio *lib. 1. c. 3. in fine*, ubi dicit ex illa pœna purgatoria viventium recte inferri pœnam purgatoriam, ſeu Purgatorium defunctorum. II. Quia temporalis pœna non ſemper remittitur, etſi culpa remittatur, id, quod evincitur ex illo 2. Reg. c. 12. ℣. 13. & 14. *Dominus ... tranſtulit peccatum tuum, non morieris, verumtamen quoniam blasphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui*

na-

natus est tibi, morte morietur, nempe post translatum parentis delictum. Scelera Manassis punita sunt adhuc diu post ejus resipiscentiam 4. Reg. c. 23. ℣. 26. *Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses.* In pœnam murmurationis, & rebellionis etiam reconciliato jam Deo omnes exceptis duobus morti addicuntur. Num. c. 14. ℣. 29. & 30. *In solitudine hac jacebunt cadavera vestra . . , præter Caleb filium Sephone, & Josue filium Nun.* De ipso quoque Moyse, & Aaron pronunciavit Deus Num. c. 20. ℣. 12. *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Profecto si Rex aliquis jus habet, ut dimissa licet culpa reum tamen pro arbitrio suo puniat leviori pœna v. g. exilio &c. cur id jus Deo negetur, ut remisso quoad culpam peccato, id vel in hoc, vel futuro sæculo in Purgatorio plectat? III. Quia sæpe in hoc sæculo pro multis levibus delictis non satisfit. Nam certum est dari aliqua peccata venialia, vi quorum ab amicitia Dei homines non excluduntur; dicitur enim Proverb. c. 24. ℣. 16. *Septies in die cadet justus.* Certum pariter est, nihil coinquinatum introire in Regnum Cœ-

lo-

lorum: quibus positis ita argumentor: sæpe in hac vita pro ejusmodi peccatis non satisfit, cum frequentius contingere possit, & reipsa contingat; justos cum venialibus mori, cum quibus Cœlum ingredi non potuerunt: ergo admittendus est locus tertius præter Cœlum, & Infernum, in quo interim pro illis satisfaciant, qui locus est ipsum Purgatorium. III. Quia Luc. c. 12. ℣. 10. dicitur: *Quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex quo sic: Dantur aliqua peccata, quæ in futura vita remitti possunt quoad culpam: hoc non fit in Cœlo; *Quia non intrabit in id aliquid coinquinatum.* Apoc. c. 21. ℣. 17. Non fit in Inferno, *Ex quo nulla est redemptio.* Matth. c. 25. ℣. 41. ergo debet esse locus tertius, & intermedius *Purgatorium* dictus.

Solvuntur Objectiones.

I. Inquiunt per solam mortem expiari omnia peccata non mortalia; quia *Stipendium peccati mors.* Ad Rom. c. 6. ℣. 23.

Repono: Mors solum universaliter à Patribus vocatur pœna peccati originalis. Deinde. Deus utique peccata venialia etiam ad certam mensuram punit, sicut Judex sæ-

cularis peccata eorum, alioquin ingens disordo argui posset in operibus Divinæ Justitiæ, dum omnia peccata indiscriminatim punirentur morte naturali. Et quæso! ubi est clare scriptum sola venialia recte mortis doloribus extingui? II. Inquiunt: merita Christi, & ejus Passio sunt infiniti valoris in ordine ad satisfactionem pro peccatis nostris: ergo sine meritorum illorum injuria dici non potest, opus esse alia in Purgatorio satisfactione, vel satispassione. Repono. Infirmitates, & afflictiones temporales non cedunt in injuriam, & contemptum meritorum Christi, & tamen etiam ipsæ sunt satisfactiones pro peccatis. Item merita Christi sunt quidem infiniti valoris, nobis tamen per confessionem quoad mortalia, & pœnam æternam, quoad temporalem vero per nostras particulares satisfactiones applicanda. Quid tibi prodest ad solvenda debita, si ingens pecuniæ summa sit in tuis loculis reposita, vel apud amicum parata, tu tamen illam nunquam excipias ex negligentia, nunquam ab amico repetas creditori solvendam? Sic pariter Thesaurus meritorum, & satisfactionum Christi nihil tibi proderit, nisi per contritionem, vel Sacramenta tibi applices ad delendam culpam, vel per opera satisfactoria ad solvendam pœnam temporalem, quæ

satis-

satisfactiones, si hìc fuerint neglectæ, certe in Purgatorio erunt compensandæ.

III. Inquiunt: Scriptura Sacra duorum tantum meminit alterius vitæ locorum, sic Eccl. c. 11. ℣. 3. dicitur: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Matth. c. 25. ℣. 34. & 41. Aliis dicitur: *Venite Benedicti.* Aliis: *Ite Maledicti.* Demum Luc. c. 23. ℣. 43. dictum est Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Igitur nec Latroni, nec cuipiam alteri conversо quidquam restat in futuro sæculo expiandum.

Repono ad I. Per lignum à pluribus intelligi corpus defuncti, quod utique manet ibi, ubi cadit, nec per se resurgere, & & se movere potest. Alii per Austrum gratiæ, per Aquilonem peccati mortalis statum designari arbitrantur, quo pacto recte anima in æternum mansura in eo statu perhibetur, in quo de corpore migrarit; unde & animæ purgantes, quæ in gratiæ statu decesserunt, semper in hoc persistent statu, licet mutandus sit locus. Ad II. Ajo de Extremo ibidem Judicio agi: tunc enim duo tantum hominum ordines erunt, unus justorum, qui ad Regnum: alter impiorum, qui in ignem mittentur, nec ullus amplius erit in Purgatorio locus. Ad III. Non nego homines dari, qui sine Purga-

torio Cœlum petunt; sic durissima Latronis mors patientissimo animo tolerata, & confessio tam admiranda in iis circumstantiis, in quibus Christum Apostolus ipse negabat, potuit juste in plenam satisfactionem Latroni imputari. Dein poterat speciali privilegio Christi, qui actu fuso sanguine nostram operabatur redemptionem, absolvi ab omni pœna temporali in Purgatorio alias sustinenda. Id tandem promereri potuit vehementissima charitas in Latrone turpissimam subeunte mortem, & ita etiam valde ardua pœnitentia, quæ non semper ex diuturnitate temporis, sed & ex ardore charitatis æstimanda est.

QUÆSTIO II.

Quas pœnas Animæ in Purgatorio sustineant?

R. Animas purgantes pati pœnam *Damni;* sunt enim visione beatifica privatæ ob culpam commissam, cui necdum in vita fuerat satisfactum. Inquis. Pœna *Damni* debet esse carentia summi boni nati inesse (visionis beatificæ) omnino involuntaria; At carentia divini conspectus animabus in Purgatorio existentibus, non est omnino involuntaria; nec enim animæ purgantes ob eam murmurant, aut Deum blasphemant,

mant, ſed ſibi quaſi complacent, quod Deus ita ſuaviter diſpoſuerit, eas propter culpas ſuas ſic punire: igitur carentia ejuſmodi, pœna *Damni* dicenda non eſt. Repono pœnam dupliciter conſiderari. Primo pro ſola carentia alicujus boni, vel commodi, prout excludit omnem prorſus triſtitiam, etiam ex privatione talis commodi provenientem. Alio modo ſumitur pro ſupplicio, vel etiam triſtitia proveniente ex carentia talis ſummi boni, & hæc reducitur ad pœnam *Senſûs;* quia ad hanc pertinet omne id, quod ſecundum propriam rationem eſt perceptibile; cum ergo ſecundum Scotum in 2. diſt. 73. q. *unica* pœna *Damni* per ſe importet ſolam carentiam excluſa etiam triſtitia, hancque animæ Purgatorii vere habeant, conſequitur eas ſubire pœnam *Damni.* Inquis iterum: Ex Scoto in 4. diſt. 50. q. 6. pœna *Damni*, ut eſt carentia ſummi boni, non eſſet pœna, niſi eſſet nolita. Repono: Scotum loc. cit. accipere pœnam *Damni* pro ſupplicio, & triſtitia ex illa proveniente, ſic accepta utique nolita eſſe debet; quia nihil affligit, niſi ſit nolitum. Si autem pœna *Damni* ſecundum ſe ſpectetur, non eſt neceſſe, ut nolita, aut volita ſit, aut, ut triſtitiam cauſet: ſic pueri, & amentes pœnam *Damni* in bonis temporalibus, & ſpiritualibus

verè patiuntur, etsi nullo dolore, aut tristitia afficiantur. Nec etiam pœna *Damni* simpliciter, & sub omni ratione animabus est voluntaria, sed etiam secundum aliquam rationem involuntaria, atque ita etiam aliquam tristitiam tali involuntario correspondentem afferre potest. Est eatenus voluntaria animabus, quatenus Divina Justitia eam exigit, & necessaria est ad perfecte satisfaciendum pro peccatis: eatenus autem involuntaria est, quatenus est contra naturale desiderium beatitudinis, & sub hac ratione pœna *Damni* in illis generat tristitiam, diciturque nolita, & involuntaria.

Secundo subeunt purgantes animæ pœnam *Sensûs* per ignem realem; Patres enim ignem purgatorium ab igne Inferni neutiquam distinguunt, & Theologi Patrum authoritate ducti generatim asserunt, *Eodem igne, quo cruciantur Damnati, Electos purgari.* Nominatim S. Aug. verba illa Apostoli: *Quasi per ignem* 1. ad Corinth. c. 3. ℣. 15. de vero, & reali igne interpretatur; unde in Psal. 37. scribens ad Deum ita suspirat: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui emendatorio igne non sit opus propter illos, qui salvi erunt, sic tamen, quasi per ignem.*

Nec obstat, quod Concilium Florentinum agens de Purgatorii pœnis, nullam ignis

ignis faciat mentionem, hoc quippe eo factum consilio, ut Patres unionem cum Græcis, qui contra realem Purgatorii ignem protestabantur, facilius promoverent. Nec iterum obstat, quo D. Paulus loc. cit. asserat: *Quasi per ignem*, nam particula *quasi* non est diminuens veritatem, & realitatem ignis, sed potius explicat modum, quo animæ illæ perveniunt ad salutem, nempe mediante igne, quasi instrumento, ut sensus sit, quod ignis ille sit, quasi causa earum salutis, non quidem principalis, sed instrumentalis tantum. Potest etiam dici, quod illa particula *quasi* signum sit veritatis, non similitudinis, ut Joann. c. 1. ℣. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti;* Quem locum sic explicat Euthymius: *Gloriam, non qualis est Sanctorum Beatorum, vel Angelorum, sed gloriam vere Unigeniti, nam hæc dictio ως* (tamquam) *idem significat, quod vere.*

QUÆSTIO III.

Quanto tempore sint duraturæ singularum Animarum pœnæ?

℟. Id esse incertum, cum nec ex revelatione, nec aliunde constet. Sotus in 4. Sentent. dist. 19. q. 3. a. 2. dicit: neminem manere in Purgatorio ad decem an-

nos, nam, ait ipse, cum nemo illic sit, nisi Dei amicus, contritio ejus, & post Christum passum Sacramenta, & suffragia, & bona, quæ egit, opera ad cumulum ei satisfactionis accedunt. In summa non est credibile, ut quos pœnarum accumulatione expedire Deus brevius inde potuit, temporis prolixitate detineat. Hæc Sotus loc. cit. At vero communis Doctorum sententia docet, quamplures animas Purgatorii longe majori tempore detineri, ac proinde terminum assignari non posse, ultra quem Purgatorii pœna non duret, & huic communi sententiæ contra Sotum, & paucos alios favet Ecclesiæ praxis, & universalis consuetudo, quæ Anniversaria Sacra celebrat pro Defunctis, etiamsi constet eos ante centum, vel ducentos annos esse mortuos: quod certe non fieret, si Ecclesia crederet non puniri animas ultra decem annos. Dein S. Augustinus lib. 9. Confess. c. 13. orat Deum pro Matre sua Monica fœmina sanctissima, quæ ante triginta quasi annos obierat, quamvis confideret illam orationibus non indigere, non tam ob temporis diuturnitatem, quam ob vitæ ejus sanctitatem, imo ipsos quoque Lectores rogat, ut Parentum ejus ad Altare Dei sint memores: adeoque supponit, quod ultra triginta, vel quadraginta annos adhuc

pre-

precibus egere possint. Tum quia plurimæ Revelationes, Visiones, & Ecclesiasticæ Historiæ ostendunt plures animas diutius in Purgatorio detineri, uti referunt S. Bernardus in vita S. Malachiæ, Dionysius Chartusianus in Dialogo *de judicio particulari* a. 31. Beda lib. 5. Hist. c. 13. Henriquez lib. 7. c. 16. lit. I. Ubi ex Surio notat de Innocentio Papa III. quod esset usque ad diem Judicii in Purgatorio detinendus. Viva ad Propos. 43. ex damnat. ab Alexandro VII. n. 7. referens, quod paucis abhinc annis in quodam Conventu prope Neapolim apparuerit Religiosus, qui fere centum abhinc annis decesserat, & suffragia postularit, & similiter de pluribus aliis referunt passim Scriptores. Unde merito ab Alexandro VII. die 18. Martii A. C. 1666. fuit inter alias damnata sequens Propositio 43. in ordine ibi: *Annuum Legatum pro anima relictum non durat plus, quam decem annos.*

Observa: nec pœnam, nec ipsam pœnarum durationem esse æqualem in omnibus animabus in Purgatorio existentibus; ait enim D. Augustinus lib. 50. Hom. 16. *Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora:* ergo etiam, quanta fuerit culpa, tanta pœna juxta illud: *Potentes potenter tormenta patientur.* Accedit, quod

non omnes moriantur cum æquali obligatione, & reatu ad pœnam persolvendam.

QUÆSTIO IV.

An omnes Animæ Purgantes in terræ visceribus loco Inferno vicino torqueantur? & quid de existentia Putei, seu Purgatorii vulgo dicti S. Patritii censendum?

℟. Ad I. Purgatorii locum communem secundum ordinariam Dei legem esse in terræ visceribus Inferno vicinum, at secundum particularem Dei legem, & dispensationem divinam interdum aliquibus animabus destinatur pro Purgatorio locus aliquis particularis, vel quia in ipso peccaverunt, vel propter nostram instructionem, ut aliquando recogitemus, magnam post hanc vitam pœnam infligi peccantibus, vel propter eorum celeriorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare, vel propter alicujus Sancti impetrationem, sicut legitur, quod S. Patritius impetraverit cuidam, ut puniretur in quodam loco in terra: Sic expresse docet S. Bonaventura in 4. Dist. 20. p. 1. q. 6. quem dicendi modum, sequuntur omnes Recentiores teste Mastrio. Et ad id referuntur plurima exempla à Patribus, & Scriptoribus, & signanter à S. Gregorio

lib.

lib. 4. Dialogorum c. 40. & 55. qui recenset animam Paschasii, & cujusdam alterius in Balneis quibusdam fuisse purgatas. A S. Petro Damiano Epist. 13. ad Desiderium c. 7. *de miraculis sui temporis*, ubi describit Visionem de purgatione animæ S. Severini in quodam flumine. A Dionysio Chartusiano in Dialogo *de judicio particulari* Art. 31. Ab Hugone de S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 16. c. 4. & ab aliis.

℟. Ad II. Falsam opinionem vulgarem de ejusmodi loci existentia à pluribus sæculis adeo invaluisse, ut etiam in Breviariis aliquarum particularium Ecclesiarum fuerit commemorata existentia dicti Putei, seu Purgatorii S. Patritii, & signanter in Breviario Ecclesiæ Parisiensis edito A. C. 1622. ibi: *Antrum vero Pœnitentiale etiamnum visitur, quod de ejus nomine Puteus, seu Purgatorium S. Patritii vocatur.* Et in Breviario Venetiis A. C. 1522. per Antonium de Giunta impresso habebantur Lectiones totæ fere de hoc Puteo, seu Purgatorio. Ast biennio postquam prodierant, ab ipso Breviario, mandato Pontificio fuerunt expunctæ, ut patet ex iterata ejusdem Breviarii impressione per eumdem Giuntam A. C. 1524. facta. Neque admisit Romana Sedes, ut Historia de Puteo, seu Purgatorio prætenso S. Patritii, Romano

Bre-

Breviario insereretur. Videantur ad rem eruditissimi Bollandistæ ad diem decimam septimam Martii in Legenda S. Patritii §. 5. & 6. ubi omnia à variis Scriptoribus de hoc prætenso Puteo, seu Purgatorio fuse recensent, referuntque, quod serio exploratis omnibus, quæ de hoc asserto Puteo, seu Purgatorio circumferebantur, & comperta ad integrum ejus existentiæ falsitate, fuisse de mandato Alexandri VI. foveam illam pro dicto Puteo, seu Purgatorio falso prædicatam, habitam, & creditam, penitus obstrusam. Id quod etiam refert exactissimus Petrus le Brun *Nella storia critica delle pratiche superstizioſe*, *Tomo terzo* italico sermone edita, nella dissertazione sopra il Purgatorio di san Patrizio: ubi subjungit sic: Convengono assai bene queste circostanze con ciò, che e detto dal Vareo nelle sue antichità d' Irlanda, che nel mille quatrocento nonanta sette un Guardiano dell' Ordine di S. Francesco fece demolire esso luogo per autorità del Papa Alessandro VI.

QUÆSTIO V.

Utrum Animæ in Purgatorio à Dœmonibus, vel Angelis bonis torqueantur?

℟. Vero-

R. Verosimilius videri Theologis post D. Thomam, Bonaventuram, Richardum, & alios, eas à Dœmonibus non cruciari; quia Benedictæ hæ Animæ Dœmones finaliter vicerunt, eosque in pugna decretoria per ultimam victoriam sibi subjecere, adeoque congruum non est, ut victrices à victis in altera vita crudelius, quam in præsenti affligantur. Nec obstat, quod Christus à Dœmone tentari, & in montem tolli voluerit: quod homines, qui Templum Dei sunt, à Dœmonibus sæpe obsideantur: quod Viri nonnunquam piissimi ob levissimam culpam horribiliter à Dœmonibus fuerint afflicti: Non obstat inquam; haud enim paritas valet ab hac vita, quæ certaminibus est expositа, ad aliam, in qua nec Mundus, nec Caro, nec proin Dœmon Animabus jam in gratia confirmatis insultare potest. Scio quidem in vita S. Bernardi lib. 1. c. 10. legi quemdam ipsi apparuisse Religiosum quatuor Spectris ipsum dilaniantibus stipatum, qui dein precibus ipsius S. Bernardi fuerat liberatus: Verum hæc, aliæque consimiles Apparitiones plerumque sunt symbolicæ, & allegoricæ, ac à Deo præostensæ, & à Sanctis ita narratæ ad ostendendam pœnarum acerbitatem, quæ à nobis intelligi aliter nequeunt, nisi per exempla, & signa nobis

nata

nota, & magis naturalia. Videtur pariter non decere, ut Animæ purgantes ab Angelis bonis crucientur, cum sint eorum Concives, & Domestici Dei præordinati, & de æterna felicitate securi. Restat ergo Deum nec malis, nec bonis Angelis tanquam instrumentis uti in castigandis Purgatorii animabus, sed eas immediate per ignem velut instrumentum obedientiale puniri.

QUÆSTIO VI.

Utrum Animæ in Purgatorio detentæ vivorum suffragiis, nempe Missæ Sacrificio, Eleemosyna, Jejuniis, & Peregrinationibus, ac aliis operibus pœnalibus, & satisfactoriis juvari possint?

R. Posse: ut patet ex 2. Machab. c. 12. v. 46. (quem librum Ecclesia, Concilium Carthaginense III. Can. 47. Et S. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei c. 36. pro Canonico agnoscunt) *Sancta, & Salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Et ibidem miserat Judas Jerosolymam duodecim millia drachmas argenti in Sacrificia pro mortuis expendenda; in Cœlo autem Precibus, & Sacrificiis Defuncti non egent: in Inferno iis non prosunt: ergo de Animabus in Purgatorio sermo est.

Quam-

Quamvis autem Calvinus cum Lutheranis librum ſecundum Machabæorum tamquam Divinum non veneretur, ſufficit nobis, ait Tertulianus lib. *de corona militis* c. 3. *Traditio victrix, conſuetudo confirmatrix, fides obſervatrix.* Et S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis: *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, ſed etſi nunquam in Scripturis Veteribus legeretur, non parva eſt Univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum habet etiam commendatio Mortuorum.* Cæterum licet Calvinus obganiat veram Chriſti Doctrinam tempore D. Auguſtini fuiſſe corruptam, fatetur tamen lib. 4. Inſtit. c. 9. §. 8. Concilium Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe in ſuis Canonibus nihil continere, quam puram, & nativam Scripturæ interpretationem. Legant ergo ejusdem Fautores Concil. Nicæn. I. quod ſub Silveſtro Papa, & Conſtantino Magno celebratum Can. 65. decernit., ut mortuo Epiſcopo ſignificetur omnibus Eccleſiis, & Monaſteriis Diœceſis, ut pro eo fiat oratio. Tobiæ c. 4. ℣. 18. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper Sepulchrum juſti conſtitue.* Quem locum S. Joannes Chryſoſtomus apud Bellarminum hic c. 3. explicat

cat de eleemosynis in solatium Defunctorum 1. Reg. c. 31. ℣. 13. Viri Jabes Galaad tulerunt ossa Saul, & Jonathæ, & sepelierunt, & jejunaverunt septem diebus 2. Reg. c. 1. ℣. 12. *David, Omnesque Viri, qui erant cum eo, planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul.* Et Eccles. c. 7 ℣. 37. dicitur: *Mortuo non prohibeas gratiam*, quæ autem alia gratia posset mortuo exhiberi, quam, ut suffragiis juvetur? Ratio quoque suffragatur; est enim Ecclesia Corpus Mysticum 1. ad Corinth. c. 12. Unde membra illius mutuo se juvare debent, ut res in corpore physico contingit: igitur membra viva succurrere posse debent mortuis in Ecclesia Purgante existentibus, & vicissim juvari à mortuis jam ad Ecclesiam Triumphantem translatis: & hæc est illa *Communio Sanctorum*, quam in Symbolo Apostolico credimus.

Solvuntur Objectiones.

I. Inquiunt: Eccles. c. 9. ℣. 5. habetur: *Viventes sciunt se morituros, mortui autem nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.* Item eodem cap. ℣. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia,*

nec

nec scientia erunt apud Inferos, quo tu properas. Item ad Galat. c. 6. ℣. 5. *Numquid unusquisque onus suum portabit*: quem textum explicat S. Hieronymus de altera vita, in qua nemo ab altero poterit adjuvari.

Repono ad primum textum: Sapientem loqui de bonis hujus vitæ, quasi dicat: Mortuos nihil scire, quid agatur de rebus, quas reliquerunt, nec posse illos iis uti propria actione ad suam liberationem, sicut poterant ante per dispositionem. Secundum textum S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. c. 39. aptissime accommodat iis, qui in Purgatorio concluduntur; cum enim isti in altera vita nova sibi merita comparare non possint, propriis in præsenti vita operibus bonis congerendis admonentur, ut hoc facto post mortem aliorum suffragiis, ac meritis adjuvari mereantur. Quoad tertium textum S. Hieronymus intelligendus est, vel de iis, qui cum mortali decedunt, vel de extremo Judicii die, quando cessante Purgatorio & mortuorum suffragia cessabunt; nam ille ipse graviter invehitur in Vigilantium, qui negat, post mortem posse precibus vivorum quemquam Defunctorum adjuvari.

II. Inquiunt: Dum olim Defunctorum memoria habebatur, orabatur pro iis, ut-

pote passuris ignem recte ante Judicium Extremum, non autem ignem purgatorium. Deinde, si Ecclesiæ, & Fidelium preces prodessent Defunctis, possent quoque animæ ex Inferno liberari; Ecclesia quippe orat pro Defunctis: *Ne eas absorbeat Tartarus; ut Deus eos liberet de ore Leonis, ne pœnas Inferni sustineant.*

Repono ad I. Hanc Molinæi objectionem pugnare contra mentem Sanctorum Patrum, & totius Ecclesiæ sensum. Rursum: ignis ille non quidem Defunctos, sed tunc Viventes cremabit. Ad II. Orationes Ecclesiæ in forma citata vel in eo sensu accipiendæ sunt, ut referantur ad diem obitus, quasi Animæ tunc primum migrarent à corpore, & essent in periculo æternæ salutis, cui similem orandi modum Ecclesia etiam adhibet certis Christi Domini Festivitatibus, ac si tunc primum Christus Incarnandus esset, aut Nasciturus: Sic in Adventu orat: *Rorate Cœli desuper,* quamvis sciat Christum jam pridem fuisse Incarnatum. Vel sic, ut earum intuitu, licet post mortem Defuncti, fiant, Deus decreverit dare gratiam finalem, eo, quod præviderit futuras Orationes, & vota fidelium. Vel tandem sic: ut nomine *Inferni* non veniat locus Damnatorum, sed aliud

Re-

Receptaculum in terræ ſinu, in quo ſolum temporaliter Animæ puniantur.

QUÆSTIO VII.

A quo habeat originem Commemoratio Fidelium Defunctorum, & ſub quo Pontifice ad Univerſalem Eccleſiam extenſa ſit?

R. Ad I. Eam S. Odilone Abbate eſſe antiquiorem, quod ſic oſtendo: Obiit S. Odilo Abbas A. C. 1048. ut notat Longueval in ſua Hiſtoria Eccleſiæ Gallicanæ Tom. 7. pag. 303. Vita illius fuit conſcripta à B. Petro Damiani, & inſerta ejusdem Operibus; fuit etiam transſcripta à Bollando Tom. 1. Menſis Januarii, in qua ſic habetur. *Venerabilis Pater Odilo per omnia Monaſteria ſua conſtituit Generale Decretum, ut ſicut primo die Menſis Novembris juxta Univerſalis Eccleſiæ regulam Omnium Sanctorum Solemnitas agitur, ita ſequenti die in Pſalmis, & Eleemoſynis, & præcipue Miſſarum Solemniis omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur.* Unde inter antiquiores conſuetudines Monaſterii Cluniacenſis c. 42. Tom. 1. Spicilegii Lucæ Acheri ſic ſcriptum reperitur: *Hoc enim Decretum eſt à P. Odilone, ut ſicut in priore die Commemoratio fieri ſolet Omnium Sanctorum,*

sic in sequenti Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. His spectatis documentis videretur institutio Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum secunda die Novembris post Festum Omnium Sanctorum tribuenda S. Abbati Odiloni. Verum obstat Amalarius Fortunatus, qui ducentis Annis præcessit S. Odilonem, & in suo libro de ordinatione Antiphonarii c. 65. ita testatur: *Post Officium Sanctorum inserui Officium pro Mortuis; multi enim transierunt de præsenti sæculo, qui non illico Sanctis conjunguntur, pro quibus solito more Officium agitur.* Videtur ergo S. Abbatem Odilonem ab Amalario exemplar sumpsisse Generalis hujus Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum secunda die Novembris post Festum Omnium Sanctorum, eamque omnibus suis Monasteriis præscripsisse. Præterea etiam Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæculo VI. p. 2. pag. 584. & sequentibus juxta Venetam postremam editionem ex Martyrologiis, & Necrologiis ostendit etiam ante S. Odilonem in Congregatione Cluniacensi celebratam fuisse Commemorationem Fidelium Defunctorum, & adfert ipsius S. Odilonis Decretum ex Veteri Manuscripto Cluniacensis Monasterii erutum: *Ut sicut in Ecclesiis, quæ per orbem terrarum longe, late-*

lateque conſtructæ ſunt, in die Kalendarum Novembris agitur Feſtivitas Omnium Sanctorum, ita apud nos agatur feſtivo honore Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, qui ab initio mundi fuerunt uſque ad finem.

℟. Ad II. Commemorationem Fidelium Defunctorum ad Univerſalem tranſiiſſe Eccleſiam ſub Pontificatu Joannis Papæ XIX. Audiatur Sauſſayus in ſuo Martyrologio Gallicano ad diem ſecundam Novembris, ubi ait: *Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, quam S. Odilo Cluniacenſis Abbas primus omnium in ſuis Monaſteriis hodie fieri præcepit, hanc vero ubique obſervari, ipſo ſuggerente Joannes Papa XIX. perenni ritu mandavit.*

QUÆSTIO VIII.

Qua ratione Eccleſiæ, & Fidelium preces Animabus proſint?

PRÆNOTIO.

Duplex eſt ratio juvandi, & ſuffragandi inter Fideles, ſcilicet per modum *Satisfactionis*, & per modum *Impetrationis*. Suffragari per modum *Satisfactionis* eſt aliquam pœnam ſolvere pro alio, dum nempe unus pœnam aliquam in ſe ſuſtinet, & ſatisfacit

pro ea, quam alter solvere debuisset, & in se sustinere. Suffragari vero per modum *Impetrationis* est precibus sine ulla solutione debiti liberationem ab illa pœna, vel debito impetrare. Unde quæritur, num suffragia Fidelium prosint Animabus per modum *Satisfactionis*, vel etiam *Impetrationis*, seu num requiratur, quod vivens, ut animam à Purgatorii pœnis liberet, pœnam in hoc mundo proportionatam in se sustineat, vel an etiam aliquando liberari possit solis precibus absque pœnæ alicujus solutione. Ad quod

R. Secundum legem ordinariam suffragia prodesse Defunctis solum per modum *Satisfactionis*, secundum extraordinariam vero etiam per modum *Impetrationis*. Ratio; quia in hoc mundo & Terræ Princeps ordinarie pœnam reo non dimittit, nisi per solutionem ejus: attamen via extraordinaria citra læsionem justitiæ potest licite subin precibus amicorum motus ex mera liberalitate pœnam dimittere: imo etsi alias homo homini offensam remittere teneatur, non tamen injuriam, seu damnum sibi ab offendente illatum, nihilominus rogatus ab amico extraordinarie una cum offensa remittit quoque injuriam, & debitum totum, quod ex justitia injurians solvere debuisset: ita sane contingit apud

Deum

Deum, qui ordinarie non remittit pœnam, niſi per modum *Solutionis*, ſeu *Satisfactionis*, quia Divina id expoſtulat Juſtitia, ut jus Divinum læſum reſarciatur, nullumque malum remaneat impunitum; quia tamen & Miſericordia ejus infinita eſt, & Potentia illimitata, nec Sanctorum, & Juſtorum Militantis Eccleſiæ preces minus efficaces ſunt apud Deum, quam ſint preces hominis unius apud alium, conſequitur, quod ſicuti apud hunc remiſſio debiti extraordinarie obtineri poſſit per modum *Impetrationis*, ita quoque apud Deum.

Solvuntur Objectiones.

I. Inquiunt: Eccleſia ſolet orare, ut Deus per ſuam piiſſimam Miſericordiam animas liberet à pœnis, & ita precatur, ut gratis Deus pœnas remittat. II. Secundum communem Theologorum Beati in Cœlis orant pro Animabus Purgatorii; conſtatque ex Authenticis Revelationibus, precibus Beatiſſimæ Matris plurimas Animas eripi è Purgatorii pœnis, non per modum *Satisfactionis;* cum in Cœlis amplius pœnam pati, & mereri non poſſint: ergo per modum *Impetrationis.*

Repono: Ex his, & ſimilibus aliud non inferri, quam, quod extraordinarie etiam Deus per modum *Impetrationis* pœ-

nas remittat: cum enim Divinæ Providentiæ lex sit, ut, qui deliquit, condignas quoque pœnas luat, & hæc sit via ordinaria, quam statuit Deus; ideo qui peccavit, ordinarie vel pœnam sustinere tenetur, vel per opera satisfactoria per se, vel per alium eam compensare; hinc etiam Patres, dum de Purgatorii Animabus loquuntur, hortantur Fideles, ut pro eorum liberatione orent, jejunent, & eleemosynas erogent, quia in eo existunt statu, in quo Justitia Divina prædominatur, & extra viæ reperiuntur statum, in quo Divina prævalet Misericordia: ex quo clare sequitur, si subin à Sanctis Ecclesiæ Militantis, vel Triumphantis precibus per gratuitam pœnæ condonationem liberentur, viam hanc, & modum, respiciendo statum earum, & solutionem, ad quam obligantur, esse extraordinariam tantum.

Petes. I. An, & quomodo prosit Defunctis Sepultura in Loco Sacro; Usus Cereorum Ardentium; Asperso Aquæ Benedictæ; Incensatio Thuris; & Campanarum Pulsus?

R. I. Prodest mortuis sepultura in loco sacro; quia preces publicæ Ecclesiæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi tumulatos. Deinde, quia Fideles frequentius illuc convenientes, frequentius excitantur ad orandum pro ipsis.

II.

II. Prodeſt mortuis uſus cereorum ardentium, in quantum conjuncti, & amici, nomine defuncti proteſtantur ſe confiteri Chriſtum eſſe Verum Lumen, & ex ejus meritis ſperare miſericordiam. III. Prodeſt mortuis aſperſio aquæ benedictæ propter preces Eccleſiæ; quia benedicendo petit prodeſſe etiam ad condonationem pœnarum. IV. Incenſatio thuris prodeſt mortuis, in quantum orat Eccleſia, ut defuncti anima paſcatur odore cœleſti. V. Campanarum uſus non juvat mortuos, niſi *indirecte*, quatenus movet audientes ad orandum, ſeu ſuffragia offerendum pro defuncto.

Petes II. An reſtitutio bonorum, quæ Defunctus Teſtator abſtulerat, aut adimpletio votorum, quæ non expleverat, per Hæredes facta ad animæ Teſtatoris Defuncti conferat liberationem?

℟. Quamvis ejuſmodi per Hæredes ſatisfactio per accidens prodeſſe poſſit ratione piorum actuum, quos Hæredes nunc eliciunt pro Defuncto, de ſe tamen nihil juvat. Ratio; quia vel defunctus ante mortem fecit, quod potuit, & non ideo diutius patietur; vel id neglexit, & ideo patietur, quantum promerita eſt ipſius negligentia, non obſtante, quod ejus Hæredes ſuis dictis omiſſis obligationibus ſatisfa-

ciant. *arg. C. mora sua 25. de reg. juris in 6.* & L. *in condemnatione 173. §. 2. ff. de reg. jur.* Sic econtra negligentia Hæredum in tali restitutione, & adimpletione votorum facienda non obest ejus animæ in Purgatorio existenti; quia Hæredum negligentia non est culpa ad ipsum pertinens. Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expresso in cap. *Cognoscentes 2. de Constitutionibus;* cum peccata suos debeant tenere Authores, cap. *Quæsivit 2. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli.* L. *Sancimus 22.* cod. *de pœnis.* Nec debeat aliquis alterius odio prægravari. Cap. *non debet. 22.* de reg. jur in 6. & L. *non debet 74.* ff. de reg. jur. Sunt tamen, qui affirmant apud Mastrium in Theolog. Moral. disp. 24. q. 3. a. 3. n. 69. dilationem restitutionis à Testatore relictæ obesse ejus animæ, & esse causam longioris detentionis in illis pœnis; unde S. Birgitta lib. 6. Revelat. c.66. asserit tamdiu animam cruciari in Purgatorio, donec restituatur ablatum, & huic opinioni favent Revelationes quædam animarum Defunctorum, quæ vivis apparuerunt, & ab Hæredibus suorum debitorum restitutionum fieri petierunt, ut à Purgatorio liberarentur.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Utrum animæ è pœnis Purgatorii liberari possint per intercessionem Sanctorum in Cœlo?

℟. Id patere ex S. Augustino lib. *de cura pro mortuis.* c. 4. ubi ostendit prodesse mortuis sepulturam in Basilicis Martyrum, ut, qui mortui recordatur, & Martyris recordetur, ejusque precibus mortui animam commendet. Accipe verba Augustini loc. cit. *Profecto etiam provisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanitas est erga funera suorum, quoniam si nonnulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliantur, attenditur. Sed cum talia virorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video, quæ sunt adjumenta mortuorum, nisi ad hoc, ut dum recolunt, ubi sint posita eorum, quos diligunt, corpora, eisdem Sanctis illos tamquam Patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent.* Et c. 18. *Quod vero quisque apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse Defuncto, ut commendans eum, etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.* Patet quoque ex praxi Ecclesiæ, quæ in illa Oratione: DEUS VENIÆ LAR-

LARGITOR, supplicat Deo, ut Defunctorum animabus, *Beata semper Virgine Maria intercedente, cum Omnibus Sanctis ad perpetuæ Beatitudinis consortium pervenire concedat.*

Petes. Quomodo Sancti cum Christo regnantes scire possint statum Animarum in Purgatorio existentium?

Repono. Eos eodem modo scire, quo sciunt, & cognoscunt preces nostras, quæ ad ipsos diriguntur. Si instas: id est principium petere. Ajo: Orationes nostras Animabus Beatis innotescere, vel ad eas deferentibus Angelis Sanctis, ut insinuat D. Dionysius in 2. c. Cœlest. Hierarch. vel in Verbo videntibus, ut placet D. Gregorio lib. 12. Moral. c. 13. quem citat, & sequitur S. Thomas 2. 2. quæst. 83. a. 4. nam de rebus nostris in Verbo vident ea, quæ eas decet videre, ut ibi inquit idem S. Thomas, & tenent S. Bonaventura, & Scotus.

QUÆSTIO X.

UTrum Animæ in Purgatorio pro nobis viventibus orent?

℟. Pie, & rationabiliter credendum esse, eas pro nobis in via adhuc peregrinantibus orare; quia sunt sanctæ, & Deo cha-

charæ, & quamvis ab ipso affligantur, non tamen affliguntur tamquam ab Inimico, sed tamquam à Justo Judice, & Patre Benigno; nosque ex charitate diligunt, & sunt gratissimæ in recompensatione orationum, aliorumque bonorum operum, quæ in earum suffragium à nobis fiunt: eo vel maxime, quod innumera beneficia passim referantur à Scriptoribus, quæ Animæ Purgatorii, statim, ac invocatæ fuere, suis præstiterunt devotis.

Nec valet dicere I. quod ipsæ non possint scire orationes nostras, aliaque bona opera in earum suffragium facta, nec cognoscere indigentias nostras. Non valet inquam; quia licèt hæc scire nequeant ex se ipsis, possunt tamen intelligere ex relatione animarum, quæ ex vivis ad illas accedunt, ut docet Augustinus lib. *de cura pro mortuis.* c. 13. & ex SS. Angelis, qui sine dubio res nostras cognoscunt, ut S. Augustinus ibidem probat. Deinde 2. Machab. c. ult. Onias, & Jeremias in Limbo orabant pro viventibus, & pro Sancta Civitate, & tamen nec illi videbant indigentias viventium, & Sanctæ Civitatis. Nec valet dicere II. Quod animæ Purgatorii sint debitrices, & in carcere propter debita propria reclusæ, ibique maximis tormentis afficiantur. Non valet; quia etiam nos

debi-

debitores sumus, & tamen pro aliis oramus, & quamvis sint debitrices, & in carcere, hoc tamen non obstante sunt in gratia, & gratæ Deo, & ideo orare pro nobis possunt.

Nec obstat, quod ibi maximis tormentis afficiantur, quia, ut notat Bellarminus lib. 2. *de Purgatorio* c. 15. Dives in Inferno orabat pro fratribus suis Luc. c. 16. & tamen erat in tormentis majoribus, quam sint animæ in Purgatorio; & Martyres in hoc mundo in tormentis constituti orabant pro se, & aliis, ut patet de S. Stephano Act. c. 7. Tum quia Animæ Paschasii, & S. Severini, licet in pœnis Purgatorii adhuc existerent, tamen miracula operabantur, ut referunt S. Gregorius lib. 4. Dialogorum c. 4. & S. Petrus Damianus in Epistola *de miraculis sui temporis;* adeoque à fortiori possunt orare pro nobis.

Nec valet dicere III. Quod ipsæ non possint pro nobis orare, & intercedere, seu aliquid impetrare, quia sunt nobis inferiores. Non valet; quia Animæ Purgatorii, quamvis nobis sint inferiores ratione pœnarum, tamen superiores sunt ratione gratiæ, & charitatis, in qua jam confirmatæ sunt. Tum quia in hoc mundo nos oramus pro Episcopis, & Summis Pontificibus, qui sunt nobis superiores, & etiam ora-

oramus pro illis, quos non dubitamus esse sanctiores, sicut orabant Christiani olim pro Paulo, qui eorum orationes petebat. Ad Rom. c. 15.

QUÆSTIO XI.

Utrum Animæ in Purgatorio sint meriti, vel demeriti capaces?

R. Animas Purgantes nec de congruo, nec de condigno mereri posse; quia Christus ait: Joan. c. 9. ℣. 4. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Quem locum D. Augustinus exponens *tract. 44. in Joan.* ait: *Operetur ergo homo, dum vivit, ne illa nocte scilicet mortis præveniatur, ubi nemo possit operari.* Idem S. Doctor de prædestinatione Sanctorum c. 12. in illud D. Pauli: *Omnes stabimus ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque ea, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum,* ait: *Gessit,* non adjunxit: *vel Gesturus fuit.* Et paulo post: *Cur autem dictum est, secundum ea, quæ per corpus gessit hominem judicandum, cum gerantur multa solo animo, non per corpus, nec per ullum corporis membrum, & plerumque tam magna, ut talibus cogitationibus pœna justissima debeatur: sicuti est, ut alia taceam, quod dixit insipiens in corde suo:*

Non

Non est Deus. Quid ergo secundum ea, quæ per corpus gessit, nisi secundum ea, quæ gessit eo tempore, quo in corpore fuit, ut per corpus intelligamus corporis tempus? post corpus autem nemo erit in corpore, nisi in resurrectione novissima, non ad ulla merita comparanda, sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis luenda supplicia. Hoc autem medio tempore inter depositionem, & receptionem corporis secundum ea, quæ gesserunt per corporis tempus, sive cruciantur animæ, sive requiescunt. Et iterum in Enchirid. c. 10. dixit: *Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari: Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cum abierit, apud Deum promereri.* Ratio autem à priori est voluntas Dei ita disponens, ut solum vita præsens stadium sit, quod Viator meritorie decurrere possit.

Neque Animæ (ut fabulatur Calvinus) quærentes requiem, & horrentes pœnas peccant, & demerentur, hoc enim supposito pœnarum nullus daretur finis, nec possibilis foret earundem liberatio; nam si pœnas timendo peccarent, deberent iterum luere, & satispati, sed luendo, & satispatiendo iterum timerent pœnas, & sic iterum luerent illas. Adeoque speciali Dei Providentia ita conservantur, ut in nullum pec-

peccatum valeant incidere, ſuntque ſemper conformes Dei voluntati. Sunt partim *in termino*, quia amplius nec mereri, nec demereri poſſunt, partim vero *in via*, quia necdum ad gloriam pervenere: ac ita cenſeri poſſunt *in termino gratiæ*, non vero *in termino gloriæ*.

Petes. Utrum Animæ Purgatorii ſint certæ, & ſecuræ de futura ſua ſalute?

R. Affirmativè cum D. Thoma, & S. Bonaventura, quorum potiſſima ratio eſt; quia Animæ Purgatorii, dum ex hac vita deceſſere, in primo inſtanti ſeparationis noverunt ſe eſſe judicatas, & poſt ſententiam definitivam experiuntur ſe à Deo in æternum, & totaliter non eſſe abjectas, dum reflexe agnoſcunt, ſe in Deum credere, ſperare, eumque ſuper omnia diligere: & ita ſciunt, & certæ ſunt de ſua ſalute, cum ipſis aliunde ſit notum, quod ſpes, & amor Damnatis repugnet, & quod inter ſtatum Damnatorum, & Electorum non detur ſtatus medius perpetuus, nec in hoc decipi poſſunt, cum corpore ſolutæ genuinam veritatem facile aſſequantur.

Nec obſtat ratio Lutheri, quod nempe ob acerbitatem pœnarum judicium, & mens Animarum Purgantium ita abſorbeatur, ut ignorent, ubi ſint, ac proin dubitent de ſua ſalute, & in deſperationis

motus prorumpant, timeantque, ne in æternum sint reprobatæ. Non obstat inquam; quia etsi spiritum carni coniunctum subinde dolor sensibilis penitus distrahat, & liberam ejus operationem præpediat, minime tamen animam à corpore separatam; ut liquet ex illa parabola Epulonis, qui inter maximos ignis cruciatus superstitum Fratrum meminerat.

QUÆSTIO XII.

Utrum Animæ aliquando egrediantur è suis Receptaculis, ut Viventibus appareant?

℟. Ejusmodi Animarum è suis Receptaculis egressus, & apparitiones Scripturæ authoritate, SS. Patrum testimoniis, & Summorum Pontificum sensu aperte probari, sic 1. Reg. c. 28. Sauli apparuit anima mortui Samuelis. Matth. c. 24. ℣. 52. & 53. refertur: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis.... venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* S. Augustinus *de cura pro mortuis agenda* c. 15. ita discurrit: *Mitti ad vivos aliquos ex mortuis, sicut è contrario quod Paulus ex vivis in Paradisum raptus est, Divina Scriptura testatur.* S. Thomas in

in Supplem. 3. p. q. 69. a. 3. in ⊙ ait: *Augustinus . . . narrat de Felice Martyre, qui Civibus Nolanis visibiliter comparuit, cum à Barbaris oppugnarentur. Et hoc etiam credi potest, quod aliquando de Damnatis contingat, quod ad eruditionem hominum, & terrorem permittuntur viventibus comparere, aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos, qui in Purgatorio detinentur.* Libet, & verba doctissimi Pontificis BENEDICTI XIV. de Animarum Apparitionibus *lib. 4. de Serv. Dei Beatif. c. 31.* excipere: *Apparent Animæ Beatorum, ut vel certiores faciant aliquos de sua felicitate, vel ut Dei mandata ad nos perferant, vel ut ad virtutem hortentur, vel ut ægris, & morientibus assistant, aut alia nobis præstent beneficia. Apparent Animæ Damnatorum tamquam Præcones Divinæ Justitiæ, & ita nos vitam instituere docent, ne & ipsi pari pœna plectamur. Apparent Animæ Purgantes, ut nostris adjutæ suffragiis citius pœnis liberentur. Nusquam autem legimus apparuisse Animas Puerorum, qui solo originali peccato decesserunt; cum juvari nostris suffragiis non possint, nec in eorum Apparitionibus inesse posse videatur utilitas, aut virtutis exemplum.*

Dissertatio X.

DE

INDULGENTIIS.

Hæretici rejectis Purgatorii pœnis valorem quoque Indulgentiarum inficiantur, usum earum primo ante quadringentos annos ab Ecclesia confictum esse criminantes. Quamquam autem materiale nomen *Indulgentia* in primitiva Ecclesia non fuerit receptum, significatum tamen ejus, & quod nunc Ecclesia per illud denotare intendit, semper usitatissimum fuisse ex dicendis apertissime conjicietur. Quia vero Animæ Purgatorii extra meriti, & propriæ satisfactionis statum repositæ, viventium suffragiis ut plurimum adjuvantur, habito de Purgatorio, ejusque suppliciis sermone, de Indulgentiis, per quas insigne charitatis subsidium Purgantibus Animabus confertur, differam.

QUÆSTIO I.

De Indulgentiæ quiditate, ejusque divisione.

AR-

ARTICULUS I.

Præinſinuantur Errores Novatorum circa uſum Indulgentiarum.

I. Erravit Tertulianus, qui negavit Mœchis ne quidem peracta pœnitentia dandam eſſe abſolutionem, etſi Martyres pro iis intercederent, quorum interceſſione Epiſcopi, & Pontifices pacem pœnitentibus, ſeu indulgentiam pœnarum impertiebant. II. Lucianus Africæ Præsbyter, qui pacem, ſive Indulgentiam absque Epiſcopi facultate diſpenſabat. III. Novatiani, qui Homicidis, & Idololatris etiam pœnitentibus veniam peccatorum dandam non eſſe docebant. IV. Novatus, qui aſſerebat omnibus lapſis ſine præviis pœnitentiæ operibus impertiendam eſſe veniam peccatorum, & pœnarum indulgentiam. V. Flagellantes, qui contendebant Simoniacos non poſſe dare Indulgentiam, tales autem Summum Pontificem, Cardinales, & Epiſcopos eſſe perperam criminabantur. VI. Waldenſes, qui ſub Friderico I. Imperatore, & Alexandro III. Romano Pontifice voluere Papam non poſſe dare Indulgentiam, ſeu relaxare pœnas peccatis debitas. Hos ſecutus eſt Wiccleffus inquiens, fatuum eſſe credere, quod In-

dulgentiæ Papæ, & Episcoporum profint Animabus, sive ante, sive post mortem. Istis adhæserunt Hussitæ sic dicti à Joanne Hus, qui cum Wiccleffo, ore, & calamo Ecclesiam oppugnabat. Dein A. C. 1517. prodiit impiissimus Martinus Lutherus, qui hæresim suam ab Indulgentiarum impugnatione est exorsus docendo hominem absolutum à culpa, hoc ipso etiam absolutum esse à pœna, & hinc Indulgentias nullius esse valoris, fideliumque fraudes esse garriebat. Tandem his omnibus successit Joannes Calvinus, Philippus Melancton, & alii, qui Thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum, quem in Ecclesia Catholica existere firmiter credimus, velut anilem fabulam irriserunt.

ARTICULUS II.

Indulgentia in sensu orthodoxo est Remissio pœnæ temporalis, quæ post condonatam culpam peccati actualis, & pœnam æternam supereſt in hac vita, vel in altera in Purgatorio luenda, valida coram Deo, & facta extra Sacramentum ab eo, qui potestatem spiritualem habet Ecclesiæ Thesaurum dispensandi.

I. Dicitur: *Remissio pœnæ temporalis*, quia per Indulgentiam non remittitur culpa

pa nec mortalis, nec venialis, nec etiam pœna æterna; unde, quando in conceſſione Indulgentiæ exprimitur per illam concedi remiſſionem *Peccatorum*, ſumitur peccatum pro pœna peccati juxta illud 2. Machab. c. 12. ℣. ult. *Ut à peccatis ſolvantur.* Si quæ Indulgentia conceſſa legatur à pœna, & culpa, ſenſus eſt teſte Gobat *in Quinario Tract. 4. c. 2. n. 17.* per talem Indulgentiam concedi facultatem abſolvendi à culpa etiam reſervata. BENEDICTUS XIV. autem *lib. 13. de Synodo c. 18. n. 7.* autumat ejusmodi Indulgentias eſſe apocryphas. Dicitur II. *Peccati actualis*; quia pœnæ peccati originalis relaxantur per Baptiſmum. Dicitur III. *Coram Deo*; quia pœnam, quam Eccleſia condonat, Deus non amplius exigit. Dicitur IV. *Facta extra Sacramentum*, ut diſtinguatur ab ea remiſſione pœnæ, quæ fit virtute Sacramenti Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis, per quæ licet aliquæ peccatorum pœnæ remittantur, non tamen omnes. Dicitur V. *Ab eo, qui poteſtatem ſpiritualem* &c. quia bona Communitati propria, & Reipublicæ Theſaurus ſolum ab eo, qui præeſt, diſpenſari debet.

ARTICULUS III.

Germana Indulgentiæ Idea juxta Spiritum Ecclesiæ.

Cum nos peccatores impares simus ad satisfaciendum Divinæ Justitiæ pro debitis per peccata contractis, partem vero istius debiti per opera nostra laboriosa solvere valeamus, Clementissima Mater Ecclesia Thesaurum nobis aperit meritorum Christi, B. Virginis, & Sanctorum, ac per hujus Thesauri applicationem id supplet, quod ob infirmitatem, & imbecillitatem reddere non possumus. Itaque Indulgentiæ in infirmitatis nostræ supplementum conceduntur. Quamobrem nos non liberant ab ea solvendi debiti parte, quam solvere valeamus, sed supplent id, quod attenta imbecillitate nostra reddere non valemus. Duo ergo hic bene notanda sunt, ut gravissimi Doctores monent. Primum: Indulgentias valde salutares, & utiles esse, eo, quod solvant eam debiti partem, quam per temporariam pœnam in hac vita vix possumus: in altera vero gravissimis Purgatorii pœnis solvere deberemus. Secundum: Indulgentias hac ratione concessas, & usurpatas non enervare Ecclesiæ disciplinam, nec fovere pœnitentium ignaviam, sed imbecillitatem nostram

ſtram erigere, atque juvare, & ſpiritum noſtrum inflammare, ut alacrius, & celerius, id, quod poſſumus, reddamus, ſupplendo id, quod pro infirmitate reddere non valemus. Audi Cardinalem Cajetanum, qui adverſus Lutherum Eccleſiæ diſciplinam de Indulgentia expoſuit in tractatu de Indulg. q. 2. ubi ſic habet: *Sunt* (pœnitentes) *duplicis ordinis: quidam ſoliciti ad ſatisfaciendum per ſe ipſos pro peccatis ſuis: quidam negligentes ſatisfacere per ſe ipſos. Primi condignas pœnitentias vel petunt à Confeſſoribus ſibi imponi, parati eas implere, vel ſponte illas aſſumunt, dum continuo ſtudent per ſancta opera ſatisfacere jejunando, orando, eleemoſynas dando &c. Secundi vero leviſſimam pœnitentiam aut rogant, aut læti ſuſcipiunt, & cum illam impleverint, quam ſciunt eſſe minimam, non curant amplius de ſatisfaciendo, & hi ſunt, quibus Indulgentiæ non proſunt judicio meo. Nullus enim indignus aliena ſatisfactione pro pœna ſibi debita conſequitur veraciter fructum Indulgentiæ. Sed quilibet negligens ſatisfacere per ſe ipſum, eſt indignus aliena ſatisfactione pro pœna propriis peccatis debita: ergo nullus negligens ſatisfacere per ſe ipſum acquirit fructum Indulgentiæ. Præterea in qualibet bene ordinata Republica, quantumcunque rationabilis adeſſet quandoque cauſa diſpenſandi theſaurum in cives gravatos*

ære alieno, negligentes tamen solvere (quod possent) *indigni censerentur adjutorio thesauri. Ex eo enim, quod possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali sublevamine: & nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia, quoniam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur. Legis autem est facere, non negligentes, sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit à Deo ordinata, æquum non est, ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes pro dignis habeat; hoc enim esset enervare satisfactiones pœnitentiales. Non prosunt ergo Indulgentiæ negligentibus satisfacere per se ipsos, quoniam indigni sunt &c. Parati autem ad satisfaciendum per se ipsos sunt, non qui negligunt per se ipsos satisfacere, sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus nisi impedita.*

Consule etiam Benigni Bosuet *Instruct. pro Indulg. comparand.* Doctissimus hic Episcopus animadvertens in Conc. Trid. Sess. 14. c. 11. definiri plenam illam, & integram peccatorum omnium remissionem, quam per Baptismum consequimur, per Sacramentum Pœnitentiæ obtineri non posse *Sine magnis nostris fletibus, & laboribus Divina id exigente Justitia;* ita concreditam sibi plebem alloquitur: *Audite filii Ecclesiæ Matris vestræ verba, illa vobis proponit magnos*

gnos fletus, magnosque labores, Baptiſmum laborioſum, illa vos edocet, Divinam Juſtitiam id exigere. Hic Eccleſiæ rigor à ſuo ſpiritu oritur, qui nunquam extinguetur: nec illa unquam ceſſabit bellum indicere laxitati. Quid refert cum Concilio mollitiem deteſtari Hæreticorum, qui ſanctos ſatisfactionis rigores rejecerunt, ſi nos in ſimilem languorem incidamus, & reipſa contemnamus, quod verbis confitemur? Et poſtquam oſtendit à Concilio doceri, Divinam quoque Clementiam decere, ut peccata poſt Baptiſmum commiſſa ſine pœna ſatisfactoria non remittantur, & pœnam hujuſmodi à novis patrandis peccatis nos coercere, nosque ſimiles Chriſto efficere, ideoque Confeſſarios debere convenientes pœnitentias imponere pœnitentibus, ſatis apte concludit Eccleſiam aperire Theſaurum ſibi concreditum: ſive Indulgentias concedere, ut ſuppleat inopiam noſtram, & integrum pœnarum debitum hac præſertim ætate noſtra, in qua vix unquam pœnitentiæ criminum pravitati æquales aut à Confeſſariis imponuntur, aut ſponte ſuſcipiuntur à nobis, ſive ob vitæ brevitatem, ſive ob ſpiritus languorem, & diminutum charitatis fervorem. Et quis ſibi ſanæ mentis perſuadeat, Eccleſiam, dum concrediti ſibi theſauri divitias nobis effundit, velle aut ſocordiam noſtram fovere,

aut

aut liberius peccandi ansam præbere, liberando homines à pœnis satisfactoriis, quibus à peccatis coerceantur, quibus passionum impetum cohibeant, quibus in charitate illa exerceantur, per quam Deo satisfacere, eique placere studeant?

ARTICULUS VI.

Indulgentia multiplex est.

I. Dividitur in *plenariam*, & *non plenariam*, seu *partialem*. Indulgentia *plenaria* est illa, quæ remittit totam pœnam temporalem ex peccatis omnibus quoad culpam jam dimissis restantem. Circa hanc Indulgentiam *plenariam* aliqui distinguunt inter Indulgentiam *plenam*, *pleniorem*, & *plenissimam* arg. Extravag. *Antiquorum* de pœnit. & remiss. inter communes, ubi dicitur: *Non solum plenam, & largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedimus veniam delictorum.* Verum quoad effectum nullum inter eas apparet discrimen; cum non solum Indulgentia *plenissima*, sed etiam *plenior*, & *plena* in rite dispositis, & confessis conferat remissionem omnium pœnarum pro peccatis quoad culpam jam remissis debitarum; ita enim docet modernus stylus Curiæ Romanæ plurimorum jam annorum usu,

uſu, & Sapientum judicio, & authoritate roboratus, nempe, quod per Indulgentiam *plenariam* idipſum deſignetur, quod per *pleniſſimam*, ita, ut quoties datur Indulgentia *plenaria*, toties cenſeatur dari, & fieri relaxatio, ſeu remiſſio omnium pœnarum, quas quis in Purgatorio luere deberet.

Poteſt tamen, ſi non quoad effectum, ſaltem quoad ſpecialia privilegia, & annexas facultates, ſequens inter dictas Indulgentias differentia notari, ut Indulgentia dicatur *plena*, quando tota pœna pro peccatis jam remiſſis debita remittitur: *plenior*, quando poteſtas extraordinaria abſolvendi à caſibus reſervatis ſuperadditur: *pleniſſima*, quando ultra hæc etiam diſpenſationes in votis, & hujuſmodi vinculis conceduntur, prout fieri ſolet in Jubilæo.

II. Indulgentia conceſſa *inſtar Jubilæi*, vel *per modum Jubilæi*, vel *in forma Jubilæi*, nihil aliud importat, quam Indulgentiam *plenariam* ſine tamen annexa facultate abſolvendi à reſervatis, commutandi vota, & hujuſmodi, quæ alias conceditur in Jubilæo. Non ergo diſtinguitur Indulgentia *inſtar Jubilæi*, *per modum Jubilæi*, *in forma Jubilæi* ab Indulgentia *plenaria*; unde Summi Pontifices ideo aliquam Indulgentiam *plenariam* vocant *inſtar Jubilæi*, *per modum Jubilæi*, & *in forma Jubilæi*, ut oſtendant ma-

majorem non effectus, sed affectus, & causæ abundantiam, atque, ut majorem in fidelibus lucrifaciendæ Indulgentiæ curam, majoremque ex ea consolationem excitent.

Sed notandum insuper est à Clemente VIII. aliisque Romanis Pontificibus abrogatas fuisse Indulgentias *in forma Jubilæi* concessas: quare, quicunque sibi facultatem appropriat Indulgentiam aliquam publicandi *in forma Jubilæi*, debet litteras concessionis omnino exhibere prædictam formulam præseferentes, docere item debet, datas eas fuisse post Pontificatum Clementis VIII. & post alia Decreta ejusmodi gratias abrogantia. Ita egregie Benedictus XIV. *in suo tract. de Synodo Diœcesana lib. 13. c. 18. n. 9.*

III. Indulgentia *partialis* est illa, quæ remittit solum partem pœnæ temporalis peccatis quoad culpam jam remissis debitæ. Indulgentia *partialis* alia vocatur *Quarena*, *Quadragena*, *Quarantana*, quæ significant Indulgentiam 40. dierum olim ab Ecclesia pro certis peccatis in Pœnitentialibus Canonibus statutam, alia dicitur *Septenna*, per quam indicatur Indulgentia septem annorum, seu remissio tantæ pœnæ, quanta fuisset remissa ob pœnitentiam per septem annos actam. Alia appellatur *Carena*, quæ secundum multos est Indulgentia utramque

supra-

supradictam complectens, ita, ut sit remissio tantæ pœnæ, quanta fuisset remissa ob pœnitentiam per quadraginta dies in pane, & aqua peractam, & per aliam pœnitentiam per septem annos subsequentem. Ita videtur nomen *Carenæ* accipi in cap. *Accusasti* 8. *de accusationibus* ibi: *Quadraginta dies in pane & aqua (quod Carena vocatur) cum septem sequentibus annis pœnitens.* Alii tamen per *Carenam* intelligunt pœnitentiam agendam solum per 40. dies in pane, & aqua, & ideo dicebatur *Carena*, quia adferebat carentiam ciborum, & consortii humani. Ita Glossa in cit. cap. *Accusasti* verb. *Carena* ubi sic habet: *Carena vulgare est Lombardorum, & dicitur à carentia hominum, quia tales recluduntur solitarii per quadraginta dies ad agendam pœnitentiam.*

IV. Alia vocatur *centum dierum, centum annorum, mille annorum, centum mille annorum, bis centum mille, trecentum mille annorum*, quod non ita capiendum est, quasi totidem dies, vel anni pœnæ luendæ in Purgatorio remittantur, seu mora tanti temporis futura in Purgatorio relaxetur, cum non sit verosimile, quod Purgatorium duraturum sit ad bis centum mille, vel trecentum mille annos, pro quibus Indulgentia aliquando conceditur, sed debet per similem Indulgentiam intelligi, quod per ipsam

sam remittatur tanta pœna, quanta remitteretur virtute illius pœnitentiæ per Canones Pœnitentiales in Jure Canonico post Decretum Gratiani impressos, statutæ, si ipsa per tot dies, vel annos in hoc mundo perageretur. Ejusmodi tamen Indulgentias subsistæ esse Fidei ob suos millenarios annos affirmat P. Mindrer *in suo Tract. de Indulg. p. 2. Conf. 8. n. 501.* Ven. Card. Thomasius *Tom. 7. Operum* incredibiles, ac plane improbabiles esse affirmat. Vide BENEDICTUM XIV. *lib. 13. de Synodo c. 18. n. 8.*

V. Alia est Indulgentia *tertiæ, aut quartæ partis peccatorum*, & hæc est remissio tantæ pœnæ, quanta persolvi debuisset hìc, vel in Purgatorio pro tertia, vel quarta parte peccatorum quoad culpam jam remissorum. Quando cum Indulgentia *plenaria* reperitur concessa etiam alia *partialis*, signum est, quod vel diversi fuerint Indulgentiarum Largitores, quorum unus *plenariam* concessit, & alter *partialem*, aut si sit unus solus concedens simul utramque Indulgentiam, advertendum illos dies, vel annos Indulgentiæ *partialis* additos Indulgentiæ *plenariæ* ad hunc finem concedi, ut possint per modum suffragii aliis applicari. Vel denique intelligi debet, quod illa additio Indulgentiæ *partialis* ad Indulgentiam *plenariam* fiat ad cautellam, ut scilicet

licet certi simus causam Indulgentiæ esse sufficientem saltem ad acquirendam illam *partialem*, si non *totalem*.

VI. Indulgentia iterum alia est *perpetua*, alia *temporalis*, alia *indefinita*. *Temporalis* est, quæ expresse ad certum, & determinatum concessa est tempus. *Perpetua* in perpetuum est data. *Indefinita*, quæ *indefinite* est concessa nulla temporis, vel durationis facta mentione.

Circa hanc lubet notare, quod ea habenda sit pro *perpetua*, cum non sit major ratio, cur Indulgentia *indefinita* concessa solum pro tanto tempore intelligeretur, & non pro majori, vel maxime, quod, cum Indulgentia sit favor, & beneficium, potius ample, quam stricte sit interpretanda; arg. cap. *Odia* 15. de Regul. Juris in 6. ibi: *Odia restringi, favores convenit ampliari.*

VII. Rursus Indulgentia alia est *localis*, alia *realis*, alia *personalis*. Indulgentia *localis* est, quæ conceditur alicui Pio Loco, id est, Fidelibus aliquam determinatam Ecclesiam, seu Capellam visitantibus, & in ea juxta expressa in formula Indulgentiæ orantibus. Indulgentia *realis* est, quæ conceditur rebus mobilibus, ut Coronis, Crucibus, Medalliis, & hujusmodi, id est Fidelibus tales res penes se devote habentibus, & opera præscripta ad Indulgentiæ

consecutionem peragentibus. Indulgentia *personalis* est, quæ independenter à loco, & re conceditur *directe*, & *immediate* alicui personæ, aut individuæ, & particulari, aut communitati, ut eam lucretur, ubicunque fuerit, vel in articulo mortis, vel quoties tale, aut tale opus peregerit.

Petes I. Quid observandum circa Indulgentiam localem?

℟. Notanda esse sequentia I. Si Ecclesia, seu Capella totaliter destruatur, & non reædificetur, perit, & cessat Indulgentia; quia ipsa non erat concessa loco simpliciter, sed Ecclesiæ, seu Capellæ. II. Si Ecclesia totaliter destruatur, ut ibidem in meliorem formam reædificetur, seu, ut authoritate Superioris in alium meliorem statum transferatur sub eodem titulo, & Patrono, retinet eamdem Indulgentiam; quia Indulgentia non est concessa ratione situs, & loci, ut supponitur, sed absolute Ecclesiæ sub tali suo proprio nomine, & titulo adhuc retento, licet in meliorem situm translatæ, seu in meliorem formam reædificatæ: unde censetur adhuc moraliter eadem Ecclesia. III. Si Ecclesia non totaliter destruatur, sed tantum per partes & paulatim reædificetur, retinet eamdem Indulgentiam, quia sic manet eadem mo-

rali-

raliter Eccleſia; adeoque eadem perſeverat Indulgentia.

Petes II. Quid advertendum circa Indulgentiam realem?

℟. Hæc eſſe obſervanda I. Si deſtruatur res, in qua erat Indulgentia, perit ipſa Indulgentia. II. Si Crux, ſeu Imago, cui eſt affixa Indulgentia, ita frangatur, ut non amplius referat ſpeciem Crucis, aut Imaginis, ceſſat Indulgentia: non ceſſat tamen, ſi quod infractum eſt, maneat, & adhuc referat ſpeciem Crucis, aut Imaginis, aut partes fractæ, ſeu disjunctæ denuo copulentur, & compaginentur. III. Si laceretur chorda, ſeu funiculus Coronæ, cui eſt affixa Indulgentia, non perit ipſa Indulgentia, ſicut nec perit, quamvis penitus frangatur crucula Coronæ, aut certa pars granorum pro quibus alia ſubſtituuntur, quia per mutationem chordæ, ſeu dictorum granorum, aut cruculæ non cenſetur mutata moraliter Corona. IV. Si frangatur dimidia pars dictæ Coronæ, Indulgentia non remanet in parte integra; quia una ſolum dimidia pars non conſtituit Coronam, aliter ſi Corona divideretur in duas dimidias partes, ex una Corona fierent duæ, ambæ gaudentes ſua peculiari Indulgentia, quod nemo dixerit, cum unica tantum Indulgentia ſit conceſſa pro tota

Corona. V. Ut aliquis sive sanus, sive moribundus lucretur Indulgentias concessas Crucibus, Medaliis, Rosariis, Coronis, & hujusmodi, debet Crucem, Medaliam, Rosarium, Coronam secum habere, secum portare, penes se habere, non est tamen opus manibus tenere rem Indulgentia affectam. VI. Nemo potest lucrari dictam Indulgentiam realem utendo Rosario, seu Medalia alienis, & hujusmodi; sic enim expresse decrevit ALEXANDER VII. die 6. Feb. A. C. 1657. Decret. incip. *Sanctissimus.* Item INNOCENTIUS XIII. die 5. Junii A. C. 1721. Decret. incip. *Nuper Sacræ.*

QUÆSTIO II.

DE Spirituali Indulgentiarum Thesauro.

ARTICULUS I.

Extat in Ecclesia Dei Thesaurus Ecclesiasticus spiritualis satisfactorius, qui aliud non est, quam Maximus quidam, & inexhauribilis cumulus meritorum, & satisfactionum, quæ & Christo Domino, ejusque vivis membris superfuerunt, & in acceptatione, memoriaque Divina servantur, & in utilitatem Ecclesiæ membrorum erogari possunt per legitimam Indulgentiarum concessionem.

Hæc

HÆc est Doctrina Concilii Tridentini Sess. 25. in Decreto de Indulgentiis. Et extravag. *Unigenitus* de pœnitentiis, & Remissionibus inter Communes, ubi sic expresse habetur:

„ Unigenitus Dei Filius de si-
„ nu Patris in uterum dignatus est
„ descendere Matris, in qua, & ex
„ qua nostræ mortalitatis substan-
„ tiam Divinitatis suæ, in suppositi
„ unitate ineffabili unione conjun-
„ xit, id, quod fuit, permanens,
„ & quod non erat, assumens, ut
„ haberet, unde hominem lapsum
„ redimeret, & pro eo satisfaceret
„ Deo Patri. Ubi enim venit ple-
„ nitudo temporis, misit Deus Fi-
„ lium suum, factum sub lege, na-
„ tum ex muliere, ut eos, qui sub
„ lege erant, redimeret, ut adop-
„ tionem reciperemus filiorum, ipse
„ namque factus nobis à Deo sapien-
„ tia, justitia, sanctificatio, & re-
„ demptio, non per sanguinem hir-

„ corum, aut vitulorum, sed per
„ proprium sanguinem introivit se-
„ mel in sancta, æterna redemptio-
„ ne inventa. Non enim corrupti-
„ bilibus auro, & argento, sed sui
„ ipsius Agni incontaminati, & im-
„ maculati pretioso sanguine nos re-
„ demit, quem in Ara Crucis in-
„ nocens, immolatus, non guttam
„ sanguinis modicam, quæ tamen
„ propter unionem ad Verbum pro
„ redemptione totius humani gene-
„ ris suffeciſſet, sed copioſe velut
„ quoddam profluvium noſcitur ef-
„ fudiſſe, ita, ut à planta pedis
„ uſque ad verticem capitis nulla
„ ſanitas inveniretur in ipſo. Quan-
„ tum ergo exinde, ut nec ſuper-
„ vacua, inanis, aut ſuperflua,
„ tantæ effuſionis miſeratio redde-
„ retur, Theſaurum militanti Ec-
„ cleſiæ acquiſivit volens ſuis the-
„ ſaurizare filiis Pius Pater, ut ſic
„ ſit infinitus Theſaurus hominibus,

„ quo

„ quo qui uſi ſunt, Dei amicitiæ
„ participes ſunt effecti. Quem
„ quidem Theſaurum, non in ſu-
„ dario repoſitum, non in agro ab-
„ ſconditum, ſed per B. Petrum
„ Cœli Clavigerum, ejusque Succeſ-
„ ſores, ſuos in terris Vicarios
„ commiſit fidelibus ſalubriter diſ-
„ penſandum, & propriis, & ra-
„ tionabilibus cauſis, nunc pro to-
„ tali, nunc pro partiali remiſſio-
„ ne pœnæ temporalis pro peccatis
„ debitæ tam generaliter, quam ſpe-
„ cialiter (prout cum Deo expedire
„ cognoſcerent) vere pœnitentibus,
„ & confeſſis miſericorditer appli-
„ candum. Ad cujus quidem the-
„ ſauri cumulum Beatæ Dei Geni-
„ tricis, omnium Electorum à pri-
„ mo juſto uſque ad ultimum me-
„ rita, adminiculum præſtare no-
„ ſcuntur, de cujus conſumptione,
„ ſeu minutione non eſt aliquate-
„ nus formidandum, tam propter

„ infinita Christi (ut prædictum est)
„ merita, quam pro eo, quod
„ quanto plures ex ejus applicatio-
„ ne trahuntur ad justitiam, tanto
„ magis accrescit ipsorum cumulus
„ meritorum. “

Petes. In quo loco sit repositus Thesaurus Indulgentiarum?

R. Eum, cum spiritualis sit, non reperiri in aliquo loco materiali hujus mundi, sed existere dumtaxat in mente, seu memoria divina, in quantum ante Dei oculos merita, & satisfactiones superabundantes Christi, & Sanctorum nondum oblivioni sunt traditæ, sed adhuc vivunt, & vigent, donec aliis indigentibus Ecclesiæ membris opportune communicentur.

ARTICULUS II.

Thesaurus Indulgentiarum includit præter merita, & satisfactiones Christi, etiam merita B. V. Mariæ, & Sanctorum Omnium.

Quamvis enim satisfactiones Christi, utpote infinitæ de se sufficiant, & superabundent ad constituendum Ecclesiæ Thesaurum sufficientem, & superabundantem pro omnibus, congruum tamen fuit, ut ex

Di-

Divina dignatione ad conſtituendum hunc ſpiritualem Eccleſiæ Theſaurum aſſumerentur etiam merita, & ſatisfactiones Sanctorum, ne alioquin eorum merita, & ſatisfactiones quoad vim ſatisfactoriam à Deo irremunerata remaneant. Merita etiam Sanctorum in Eccleſiæ Theſauro collocantur, non, ut quidpiam addatur meritis Chriſti Domini, quæ infinita ſunt, ſed ut pateat Sanctorum communio in Eccleſia, quæ eſt Corpus Myſticum Chriſti Jeſu, & ipſe ejuſdem Caput, quod perficit membra ſua, quibus veluti inſtrumentis communicat ſpiritum, & omnem ſalutarem motum per ſuam gratiam.

Petes. Utrum merita Sanctorum ad Indulgentias per modum *Impetrationis*, vel *Solutionis* concurrant?

R. Concurrere utroque modo. De priore modo nulla eſt controverſia. Quod vero ſecundo modo concurrant, facile patet, quia Juſti non pro ſe tantum, ſed pro aliis etiam ſatisfacere valent, quantum ad debitum pœnæ temporalis; imo & mereri de congruo poſſunt peccatoribus pœnitentiæ donum. Hæc autem Juſti non præſtant, niſi in virtute meritorum Chriſti, cujus ſpiritu aguntur, tamquam membra viva; etenim Auguſtino teſte *lib. contra Parmen. Hic eſt Unus, Verusque Mediator Noſter, & Advocatus, pro quo nullus interpellat, ſed ipſe pro*

omnibus, aliquando quidem per membra corporis sui, quæ pro se invicem solicita sunt.

ARTICULUS III.

Thesaurus Indulgentiarum ita concreditus est Ecclesiæ, ut illius bona in favorem Fidelium distribuere possit, præsertim ad relaxationem pœnæ post remissionem peccatorum residuæ.

Ecclesiæ siquidem Matth. c. 16. ℣. 19. & Joan. c. 21. ℣. 17. ligandi, & solvendi, remittendi peccata, & clavium potestas concessa est, & quæ ipsa remittit, vel solvit in terris, remissa, & soluta habentur in Cœlis. Ex quo Patres omnes (quorum testimonia sunt obvia) colligunt collatam Apostolis, eorumque Successoribus potestatem injungendi pœnitentibus satisfactorias pœnitentias, & relaxandi.

Hac vero potestate dispensandi Indulgentias semper usa est Ecclesia. Primo sæculo D. Paulus incestuosum Corinthium, quem excommunicatione ligârat, post unum annum non solum à vinculo absolvit, sed etiam per Indulgentias concessas à pœna liberavit; unde 2. ad Corinth. c. 2. ℣. 6. ait: *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc . . . . cui autem aliquid donastis* (id est, dona-

donari petiiſtis) *& ego* (ſupple *donavi*) *nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti.* Hoc eſt, pœnam peccato ejus debitam ob veſtram interceſſionem, & merita authoritate à Chriſto accepta condonavi. Indulgentias præterea probavit ſecundo Eccleſiæ ſæculo Tertullianus in libro, quem ſcripſit ad Martyres c. 1. S. Cyprianus pluries ſcribit ad Martyrum preces Eccleſiam in more habuiſſe remittere pœnas pœnitentibus: Martyres enim incarcerati, vel ad mortem condemnati ab Epiſcopis vel oretenus, vel per ſcripturam poſtulabant, ut intuitu illorum futuri martyrii lapſis Pœnæ Canonicæ pro peccatis ab Eccleſia ſtatutæ remitterentur. Uſus præterea Indulgentiarum in antiqua Eccleſia conſtat etiam ex relaxatione pœnitentiæ, quæ fiebat ab Epiſcopis in Cœna Domini iis, qui per ſacramentalem abſolutionem initio Quadrageſimæ à Presbyteris abſoluti fuiſſent, ut pluribus oſtendit Amort. *Diſſ. prælim. de Indulgentiis §. 11.*

* * *
* *
*

AR-

ARTICULUS IV.

Thesauri Ecclesiastici per Indulgentiarum concessionem pro tota Ecclesia Dispensator est solus Papa.

Cum enim solus Romanus Pontifex in tota Ecclesia Primatum obtineat, sitque legitimus Divi Petri in Pastorali Officio Successor, consequitur eum habere Jure Divino, & Ordinario potestatem dispensandi Indulgentias omnibus Christi Fidelibus in Universa Ecclesia; quia Christus soli Petro Matth. c. 16. ℣. 19. promisit: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Tum quia ad dispensandas Indulgentias duplex ex parte concedentis necessaria est potestas, una in eos, quibus conferuntur, altera in Ecclesiæ Thesaurum; utraque est in Romano Antistite. Prior; quia Petro, & hoc ipso etiam Legitimis ejus Successoribus commissæ sunt Oves, seu Fideles, illis verbis Joan. ult. *Pasce oves meas.* Posterior, quia Papa superiorem se in terris non agnoscit.

Archiepiscopis, & Episcopis, quorum amplior olim erat potestas, ita in Concilio Lateranensi III. in cap. *Cum ex eo* 14. de de pœnit. & remissionibus in fine restricta est, ut possint solum concedere Indulgentiam unius anni in Dedicatione Ecclesiæ,

sive

sive ab uno solo Episcopo, sive à pluribus dedicetur, & in Anniversario Dedicationis, & aliis etiam casibus, & rationabilibus causis 40. dierum: „ Decrevimus, ut, „ dum dicatur Basilica, non extendatur Indulgentia extra annum, „ sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur, ac deinde in Anniversario Dedicationis „ tempore 40. dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat: hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteris „ præcipimus moderari, quæ pro „ quibuslibet casibus aliquoties conceduntur. “ Has elargiri possunt etiam non Consecrati, dummodo sint Electi, & Confirmati; quia capitulum *Quod autem* de pœnit. & remissionibus non exigit potestatem *Ordinis*, sed tantum *Jurisdictionis.*

Capitulo Cathedrali sede vacante, aut ejus Vicario facultas concedendi Indulgentias non admittitur, quia *necessaria* solum, non autem *voluntaria* jurisdictio Episcopi, quæ *gratiam* potius, & *donationem*, quam *justitiam* continet, ad Capitulum, ejusque Vicarium sede vacante devolvitur. arg. cap.

illa

illa 2. *Ne sede vacante* &c. & cap. fin. de offic. Vicar. in 6. Indulgentiarum autem concessio ad *voluntariam* Episcopi jurisdictionem spectat, & potius *gratiam*, & *liberalem donationem* sapit, quam *justitiam*.

Neque ejusmodi facultas competit Vicario Generali Episcopi; nam nec iste, licet cæteroquin jurisdictionem ordinariam, idemque Tribunal cum Episcopo à jure obtineat cap. *Romana* 3. de appellat. in 6. absque speciali ejus commissione potest ea, quæ speciem *donationis* habent cit. cap. fin. de offic. Vic. in 6.

Abbates, aliique Prælati Episcopis inferiores, sive Sæculares, sive Regulares, nisi privilegio speciali, vel consuetudine, vel præscriptione potestatem concedendi Indulgentias obtinuerint, eas jure ordinario, & proprio largiri non possunt, id quod patet ex cap. *Accedentibus* 12. de excess. Prælat. ubi inter alios excessus quorumdam Abbatum etiam iste redarguitur, quod Indulgentiarum litteras in præjudicium Dignitatis Episcopalis concedere præsumpserint. Unde jure proprio, & ordinario Prælati Regulares, ut Generales, & Provinciales Indulgentias concedere neque Regularibus sibi subditis possunt.

Dixi:

Dixi: *Jure proprio, & ordinario*; quia dicti Prælati Regulares ex conceſſione facta Provincialibus de Ordine Minorum à LEONE X. & Viſitatoribus Societatis Jeſu à GREG. XIII. & aliis Ordinibus ab aliis Summis Pontificibus poſſunt concedere Indulgentiam plenariam ſuis Religioſis peracta Viſitatione. Nec tales Indulgentias eſſe revocatas, quamvis alioquin viva tantum voce conceſſas, reſpondit, & declaravit URBANUS VIII. ut refert La Croix lib. 1. num. 861. & tenet praxis communis.

Neque Parochi, aut alii ſimplices Presbyteri pollent authoritate concedendi Indulgentias ne quidem pro Foro Sacramentali tantum, ut communis Canoniſtarum, & Theologorum docet. Conſtat id ex veteri, & nova traditione; cum enim jam Divi Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis ætate quidam Presbyter hanc poteſtatem ſibi arrogaſſet, Sanctus Antiſtes in Epiſtola ad Clerum Romanum data, id Evangelio, atque Epiſcoporum authoritati, ac veteri diſciplinæ adverſari juculenter docuit. Deinde conceſſio Indulgentiarum fit per diſpenſationem Theſauri meritorum Chriſti, & Sanctorum; hæc autem non convenit, niſi iis, quibus regimen Eccleſiæ commiſſum noſcitur, ſcilicet Pontifici Romano, & Epiſcopis per totum orbem diffuſis juxta

defi-

definitionem Concil. Trid. Sess. 23. cap. 4. & doctrinam Apostoli ad Coloss. 1. ubi hos dicit esse *Positos à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.* Indeque hæc potestas potius ad jurisdictionem fori *externi*, quam *interni*, quæ sola competit simplicibus Presbyteris, pertinet.

QUÆSTIO III.

Qua ratione Ecclesia ad decimum usque sæculum Indulgentias dispensaverit?

R. Cum Mabillonio: Indulgentiarum triplicem quasi gradum, & modum, quo ab initio usque ad decimum sæculum dispensabantur, considerari posse. Primus erat tempore Apostolorum, nempe relaxatio ab excommunicatione incestuosi Corinthii. Secundus tempore Martyrum, ad quorum preces publica pœna pœnitentibus remittebatur. Tertius, dum pœnitentia publica sæculo nono non parum minui cœpit, tunc datæ sunt à Pontificibus Indulgentiæ aliæ aliis ampliores, quæ certis piis operibus erant annexæ, ut Missis, Eleemosynis, Peregrinationibus Sacris.

Nota I. Indulgentias à primo sæculo fere usque ad duodecimum constitisse solum in relaxatione cujusdam excommunicationis, aut in moderatione pœnitentiæ per Con-

Confeſſarium, & ſacros Canones injunctæ. Dixi: *cujuſdam excommunicationis*; quia olim jam Sacramentaliter abſoluti, nihilominus tamdiu excludebantur à participatione Euchariſtiæ, & aliquali communione Fidelium, quamdiu durabat tempus pœnitentiæ; hujus igitur excommunicationis, qua arcebantur ab Euchariſtia, ſolutio erat Indulgentia, ſeu reliquæ pœnæ peccatis debitæ condonatio.

Nota II. Duobus primis ſæculis ſatis benigne cum pœnitentibus fuiſſe actum, ac pœnas (ut cum Morino lib. 2. c. 2. n. 7. loquar) criminibus impoſitas ante Novatum (qui A. C. 251. ſuam ſparſit hæreſim) breves admodum fuiſſe, & nonnunquam ſceleratiſſimis hominibus pacem, & communionem certis de cauſis, nulla imperata exteriori pœnitentia, ſtatim fuiſſe redditam, poſtea tamen ad os Novatianis, qui Pontificum in condonandis culpis benignitatem carpebant, & inſtanter damnabant, occludendum, & ne tot Fideles in perſecutionibus laberentur ſub ſpe obtinendæ poſtea ſine magno labore ſui lapſus veniæ, rigidiores Canones fuerunt ſtatuti, ac pœnitentia in quatuor ſtationes FLETUM, AUDITIONEM, SUBSTRATIONEM, & CONSISTENTIAM diſtributa, multiplicata jejunia, ac non niſi poſt multos la-

bores Pœnitentes Ecclesiæ, & Altari fuerunt reconciliati: *Duriorem remissionem* (ait Innocentius ad Exuperium) *fecit temporis ratio, ne communionis concessæ facilitas, homines de reconciliatione securos non revocaret à culpa.*

Circa hæc tempora confitebantur Fideles initio Quadragesimæ Presbytero, ab eoque Sacramentaliter absolvebantur: tempore autem Antepaschalis jejunii exercebant se operibus pœnitentiæ, & à Communione abstinebant: iidem in Cœna Domini (si non erant publicæ pœnitentiæ subjecti, vel tempus eorum peragendæ pœnitentiæ necdum fuisset elapsum, hi enim ne tum quidem reconciliabantur) fuerunt ab Episcopo sine nova Confessione reconciliati, id est, à peccatis generali formula absoluti, & ad Communionem recepti. Patet autem absolutionem Presbyteri initio Quadragesimæ fuisse Sacramentalem; quia ut in Antiquo Ordine Romano legitur, Presbyter imposuit manus super pœnitentem, quod ordinarium signum erat absolutionis Sacramentalis, formam quoque deprecatoriam absolutionis, qualis semper erat ante sæculum duodecimum, super pœnitentes recitavit. Tum etiam; quia Presbyteri ad initium Quadragesimæ eodem modo dicebantur *Dare pœnitentiam*, sicut eam dabant

mo-

moribundis, quos utique Sacramentaliter absolverunt. Quod autem Episcopi absolutio non fuerit Sacramentalis, sed solum remissiva alicujus pœnæ, & indulgentialis etiam constat; quia Episcopus in Cœna Domini reconcilians non excepit Pœnitentium Confessiones.

Nota III. Lapsis, & publicæ pœnitentiæ subjectis ad preces Martyrum pacem, reconciliationem, indulgentiam, & liberationem à pœnis fuisse concessam, priusquam eorum pœnitentiæ præfixum tempus fuisset elapsum. Quod satis patet ex Patrum testimoniis, sic circa A. C. 200. testatur Tertulianus lib. de pudic. c. 1. *Pacem quidam* in Ecclesia *non habentes à Martyribus in carcere exorare consueverunt.* Qui pœnarum timore, vel quacunque alia ratione lapsi sunt in persecutione Decii A. C. 250. rigorosam subire debebant pœnitentiam, usque dum nova suscitata fuisset persecutio imperante Gallo A. C. 251. Tunc S. Cyprianus timens, ne ejusmodi pœnitentes plane desperarent, & metu persecutionis ad Gentilismum redirent, ni admitterentur ad communionem, & pacem, singulis plenariam veniam, & Indulgentiam concessit, ut colligitur ex Epistola 54. ad Cornelium Papam, in qua hæc leguntur: *Statueramus quidem jam pridem, ut, qui in*

persecutione lapsi essent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent; sed cum videamus diem alterius persecutionis imminere, censuimus eis, qui pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapsus sui die non desistere, pacem dandam esse, ut quos excitamus ad prœlium, non inermes, ac nudos relinquamus, sed protectione Corporis, & Sanguinis Christi muniamus. Advertendum autem hujusmodi Pœnitentes solum à Sacra Communione, & quibusdam aliis Sacris Functionibus excommunicatos, & prohibitos fuisse, non vero à numero, meritis, & publicis Ecclesiæ orationibus, maxime, quia in Epist. quæ est Cleri Romani, jubentur pro ejusmodi Pœnitentibus fieri orationes Sacerdotum.

Nota IV. Reddita Ecclesiæ pace tempore SILVESTRI I. Papæ A. C. 314. pœnarum remissionem factam fuisse modo superius indicato, ut constat ex Epistola INNOCENTII I. qui A. C. 416. Can. 7. ita statuit: *De pœnitentibus, qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus pœnitentiam egerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Sane si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tem-*

tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque Communione discedat.

Nota V. Rigorem agendæ pœnitentiæ paulatim defeciſſe, adeo, ut in Eccleſia Orientali jam poſt quartum ſæculum, in Occidentali vero poſt ſeptimum multum remiſſa fuerit prior diſciplina, & Eccleſia juſtis de cauſis magis Pœnitentium fragilitati cœpit indulgere; ſic Burchardus ad annum 800. ex Pœnitentiali Romano hæc refert: *Qui jejunare poteſt, & implere, quod in Pœnitentiali ſcriptum eſt, bonum eſt, & Deo gratias referat: qui autem non poteſt, per Miſericordiam Dei conſilium damus, ut nec ſibi, nec alicui neceſſe ſit, nec deſperare, nec perire, pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet, quinquaginta Pſalmos genibus flexis, ſi fieri poteſt, decantet.*

Nota VI. Poſt annum C. 1000. Eccleſiam per alia bona Fidelium opera Indulgentiarum Theſaurum cœpiſſe diſpenſare, ſic ALEXANDER II. A. C. 1070. peracta Lucenſis Eccleſiæ dedicatione ſtatuit, *Ut octo dierum ſpatio Dedicationis memoria pergeretur conceſſa Indulgentia pœnitentiæ*, ut habetur in Codice MS. ejuſdem in Vaticana Bibliotheca aſſervato. Sed deeſt ibi ſpecificatio ipſius Indulgentiæ, quæ tamen habetur in quadam HONORII II. Bulla, in qua ita loquitur Pontifex: *Ut ipſius Ec-*

clesiæ Dedicatio singulis annis devotius celebretur, universis, qui ad celebritatem Consecrationis ejusdem intra novem dies convenerint, de illius pietate confisi, qui est peccatorum remissio, de injunctis pœnitentiis annum unum misericorditer relaxamus.

Circa hæc eadem tempora concedi cœperunt Indulgentiæ Basilicæ Vaticanæ, quas recensetNICOLAUS IV. in Bulla relata ab Onuphrio Panvinio in Libello de septem Ecclesiis Urbis per hæc verba: *Sicut ad nos tam ex scriptis antiquis in Basilica ipsa repertis, quam ex Seniorum Canonicorum ejusdem Basilicæ relatione pervenit Prædecessores nostri omnibus vere pœnitentibus, & confessis ad eandem Ecclesiam venientibus reverenter, videlicet in Nativitate Domini septem annorum, & septem quadragenarum, & ab Octava Pentecostes hinc ad Festum B. Petri . . . die quolibet trium annorum, & trium quadragenarum . . . à principio Quadragesimæ usque ad Festum Paschæ quolibet die, nec non in Festivitatibus B. Mariæ unius anni, & quadraginta dierum remissiones suorum peccatorum concesserunt.*

Has NICOLAUS Pontifex ratas habuit, & deinceps confirmaverunt, atque auxerunt BONIFACIUS VIII. CLEMENS VI. URBANUS VI. NICOLAUS V. & alii Summi Pontifices, ut inquit idem Panvinius.

cir-

circa finem undecimi ſæculi occurrunt quoque Indulgentiæ conceſſæ proficiscentibus ad Bellum Sacrum, aut certe ad illud contribuentibus. En Canonem 2. Concilii Claromontani URBANI II. authoritate celebrati: *Quicunque pro ſola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandam Eccleſiam Dei Jeruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.* Ac ita poſtea per ſubſequentia ſæcula aliis, & aliis piis Fidelium operibus Indulgentiarum Theſaurus pro bono, & incremento Eccleſiæ fuerat applicatus.

QUÆSTIO IV.

Quotuplex fuerit Veterum Pœnitentium genus?

℟. I. Fuiſſe FLENTES, qui ſtabant extra portam Oratorii, & ab ingredientibus, & egredientibus cum lacrymis precum ſubſidium, & peccati condonationem petebant. FLETUS (ait S. Gregorius Thaumaturgus cap. 11. Epiſtolæ Canonicæ) *eſt extra portam Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet Fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur.* Ex quo vides Fletum fuiſſe ſtationem extra omnem Eccleſiæ ambitum. In hac ſtatione lugubri habitu induti, cilicio conſtricti, & cinere conſperſi Pœni-

tentes in hoc unum erant intenti, ut introeuntium, & exeuntium vota captarent, eosque deprecarentur, ut pro se apud Ecclesiam intercedere dignarentur. Fuit autem hoc, & aliarum stationum tempus pro diversa criminis gravitate longius, vel brevius. *Qui sua sponte interfecit* (ait Canon 56. *S. Basilii*) *& postea pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quatuor annis flere stans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuncians. Post quatuor autem annos inter Auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur: septem autem annis, cum iis, qui in subsistratione orant, egredietur. In quatuor autem annis solum stabit cum Fidelibus, sed non erit Oblationis particeps: iis autem expletis erit Sacramentorum particeps.*

II. AUDIENTES, qui stabant intra portam, in loco, qui *Narthex* dicitur; Divinasque Scripturas, & communis doctrinæ explicationem excipiebant, postea vero cum Catechumenis exibant: *Auditio* (ait Canon 11. jam cit. S. Greg. Thaumaturgi) *est intra portam in porticu . . . ubi oportet eum, qui peccavit stare usque ad Catechumenos* (id est in loco designato Catechumenis) *& illinc egredi* (terminata Missa Ca-

Catechumenorum) *audiens enim Scripturas, & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur.* Ex quo vides id unum Pœnitentibus in ſtatione AUDITIONIS permiſſum fuiſſe, ut Conciones Sacras, Lectionem Scripturæ, Pſalmorum Cantus audirent, quibus peractis exire tenebantur.

Ad hanc ſtationem fuerant admiſſi Ethnici, Judæi, Hæretici, Schismatici, primi generis Catechumeni, & Audientes Pœnitentes: his enim omnibus, cum ad Eccleſiam ſeſe reciperent, hic locus aſſignabatur, iisque Pſalmorum Cantum, Sacræ Scripturæ Lectionem, & Conciones Epiſcoporum audire licebat. Ita ſtatuit Canon 84. Concilii Carthag. IV. *Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire Verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad Miſſam Catechumenorum.*

III. Erant SUBSTRATI, qui ex Auditorum claſſe egreſſi genibus flexis, humili, ac demiſſo habitu, variis pœnis caſtigati ſunt. Eorum locus fuit intra Templi ambitum, à portis Eccleſiæ uſque ad ambonem, id eſt ſpatium illud, ex quo Epiſtola, & Evangelium legebantur. Fiebant frequentes ſupra Subſtratos manuum impoſitiones, & fundebantur Orationes: exibant cum Catechumenis, quando Sacrificium offerebatur.

IV. CONSISTENTES ; quibus è Subſtratorum numero egreſſis integræ Miſſæ licebat adeſſe, nec cum Catechumenis exire compellebantur, quin tamen Euchariſtiæ fierent participes. Hæc CONSISTENTIUM ſtatio aliquando dicitur *Communio ;* quia nempe licebat in eo gradu adeſſe cum Fidelibus Sacrificio, & Precibus: aliquando dicitur *Excommunicatio minor ;* quia ejusmodi Pœnitentes nondum admittebantur ad Sacram Menſam. Locus ipſis erat aſſignatus ab ambone ad Sanctuarium, ſola Euchariſtiæ Communione excepta, qua CONSISTENTES privabantur, cætera omnia ipſis erant communia cum aliis Fidelibus extra ordinem Pœnitentium poſitis.

QUÆSTIO V.

An diſciplina Eccleſiæ circa uſum Indulgentiarum ſubierit variationem quoad ſubſtantiam ?

ARTICULUS I.

Diſpenſatio Indulgentiarum in Eccleſia Dei manſit ſubſtantialiter invariata ?

Probo aſſertionem cum P. Euſebio Amort ex comparatione Veterum, & Recentio-

tiorum Indulgentiarum, ex quibus aperte colligetur Ecclesiam in collatione Indulgentiarum semper eundem retinuisse spiritum.

I. Antiquitus relaxatio pœnæ fiebat, quando Fideles Pœnitentes admittebantur ad Sacram Communionem: nunc etiam ordinarie Indulgentia connectitur cum Sacra Communione, quia ordinarie, ut quis Indulgentiam lucretur, requiritur Communio.

II. Antiquitus in articulo mortis fere omnes habebant Plenariam Indulgentiam, quia omnes admittebantur ad Sacram Communionem; Sicque *Ad Dominum dimittebantur*, licet pro foro externo dein, si reconvalescebant, debuerint supplere opera pœnitentiæ: nunc etiam omnes Fideles in articulo mortis, si voluerint uti Gratiis Apostolicis per aggregationem in Confraternitates, habent similiter Plenariam Indulgentiam.

III. Antiquitus Indulgentiæ non poterant conferri, nisi ab Episcopis, nunquam autem à Presbyteris, nisi haberent commissionem ab Episcopo: nunc etiam Plenariæ non applicantur, nisi ex commissione Summi Pontificis v. g. dum Indulgentiam in articulo mortis, vel alias per specialem formulam Pœnitenti applicant, qui mos jam à multis sæculis invaluit.

IV.

IV. Antiquitus omnibus ad omne opus bonum apertus stabat Thesaurus Ecclesiæ ex communione Justorum omnium non restricta à Pastoribus Ecclesiæ, & specialiter impensa per preces, ac vota Antistitum: nunc etiam ad omne opus bonum in Confraternitatibus apertus stat Thesaurus Ecclesiæ per applicationem specialem alicujus Indulgentiæ.

V. Antiquitus offerebantur ab Ecclesia pro pœnitentibus, ac aliis specialiter participantibus de Thesauro Ecclesiæ Justorum intercessiones, & opera: idem nunc per Prælatos fit, qui concedunt Indulgentias, ut Deo offerant de Thesauro Ecclesiæ.

VI. Antiquitus Episcopi habebant potestatem relaxandi partem pœnitentiæ, non totam: nunc etiam jam à multis sæculis non habent potestatem Indulgentiam concedendi excedentem 40. vel 100. dies.

VII. Antiquitus requirebantur opera ardua ad obtinendam Indulgentiam: nunc etiam Pontifices, ut in decursu probabitur, jam sæpius declararunt, se nolle applicare plenum fructum Indulgentiarum, nisi iis, qui se per opera pœnitentiæ congrue disposuerint, ac dignos reddiderint.

VIII. Antiquitus modum Indulgentiarum, ac relaxationum ex tacito consensu Summi Pastoris regulabat frequenter com-

mu-

munis ſenſus, & conſuetudo Eccleſiæ; & quando oriebatur dubium, aut fiebat exceſſus in rigore, aut laxitate, apponebant limites Summi Antiſtites Eccleſiæ: ſic enim Zephyrinus indulſit primus Mæchis veniam, ut teſtatur Tertulianus, & Nicolaus primus præſcripſit modum Relaxationum Pœnitentialium Epiſcopis Germaniæ, ut patet ex ejus Epiſtola, quam, dum luſtrarem (ait P. Amort) Bibliothecas Bavariæ, reperi in manuſcripto Codice Sæculi duodecimi in Canonia ad S. Nicolaum Paſſavii, eſtque hactenus inedita.

IX. Antiquitus ex toto orbe concurrebatur ad Sepulchrum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ut oſtendit P. Greſterus lib. 2. de Peregrinationibus c. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Omnes Gentes eo confluebant, ut obtinerent Patrocinium Principis Apoſtolorum, ut teſtatur S. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, Fortunatus, S. Gregorius &c. confluebant præcipue, ut obtinerent relaxationes Pœnæ Canonicæ, ut teſtatur Concilium Cabillonenſe A. C. 815. & poſtmodum Selegunſtadienſe: nunc autem, dum plerisque ob alium ſtatum politicum Regnorum, & diviſionem linguarum poſt Romanæ linguæ interitum non amplius datur tam facilis acceſſus Romam, Summus Paſtor præſtat abſentibus, quod præſentes re-

requirere non possunt beneficium, & ut in suis Bullis communiter exprimit: *Confisus de Omnipotentis Dei Misericordia, & B.B. Apostolorum Petri, & Pauli Orationibus*, cuivis pro modo suæ congruæ dispositionis relaxat facinora.

X. Antiquitus relaxabantur v. g. septem anni, vel integra Quadragesima, & sensus erat, quod peccatum, cui talis pœnitentia debebat injungi, foret ab omni pœna liberum: nunc similiter relaxantur v. g. septem anni, vel 40. dies, seu quod idem est Carena, aut Quadragesima. Sensus autem est, ut mihi videtur, quod peccatum, cui talis pœnitentia secundum Canones deberet injungi, sit ab omni pœna liberum, vel ut aliis videtur, quod tantumdem pœnæ in Purgatorio luendæ, quantum talis pœnitentiæ neglectui responderet, relaxetur. In quo iterum nulla est differentia, cum antiquitus Indulgentiæ pariter valuerint coram Deo.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. Inquiunt. Per copiosas Indulgentias nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & rigor satisfactionum pro peccatis videtur pe-

penitus enervatus; antiquitus enim non conferebantur Indulgentiæ, nisi post laboriosam, & longam pœnitentiam; nunc dantur pro leviſſimis operibus, & ſæpiſſime: ergo uſus Indulgentiarum eſt ſubſtantialiter mutatus.

Repono. Antiquitus pro iis hominibus, qui pro peccatis occultis noluerunt ultro ſubire publicam pœnitentiam, ad quam ſubeundam non obligabantur, ut oſtendit P. Francolinus lib 2. de Pœnit. tot, imo plures fuiſſe Indulgentias Plenarias, quam nunc; quia omnes iſti Pœnitentes ſtatim abſolvebantur, & ſi volebant, ſtatim admittebantur ad Comunionem, nec illis imponebatur ille antiquus ordo longus pœnitendi, niſi conſilii cauſa, ut nempe promererentur largitatem Indulgentiæ, ac plenitudinem remiſſionis, quod ipſum per modum diſpoſitionis etiam in modernis Indulgentiis requiritur, ut alibi dicam.

Quod vero attinet rigorem illum Pœnitentiarum Veterum pro peccatis publicis, ajo, neque in hoc mutatum eſſe ſpiritum Eccleſiæ in Indulgentiarum diſpenſatione, quia Eccleſia illum rigorem non aſſumpſit ut convenientem perfecto Eccleſiæ ſtatui, ſed ut neceſſarium ſtatui imperfecto, adeoque illum uſurpavit ut aliquando dimittendum, non autem ſemper retinendum. Iſtud

probo

probo authoritate D. Cypriani omnium Patrum rigorosissimi, qui, dum reddita Ecclesiæ pace rigorem suum plurimum temperasset, de hac sua moderatione tamquam de inconstantia reprehensus, hanc reddidit rationem, quod nempe rigor fuerit Ecclesiæ utilior tempore persecutionum ad conservandam honestatem Ecclesiæ coram Gentibus ubique commixtis, sed benignitas tempore pacis fiat utilior in plures. Idipsum contingere in moderna benignitate infra ostendam, interim refero verba S. Cypriani Epist. 52. ubi ita habet:

Quoniam de meo actu motus videris, mea apud te persona, & causa purganda est, ne me aliquis existimet à proposito meo leviter recessisse, & cum Evangelicum rigorem primo inter initia defenderim, postea videar animum meum á disciplina, & censura priore flexisse, ut his, qui libellis conscientiam suam maculaverint, & nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putaverim; quod utrumque non sine librata diu, & ponderata ratione à me factum est. Nam cum prælium glorioſi certaminis in persecutione ferveret, toto hortatu, & pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, & lapsorum mentes animandæ, ut pœnitentiæ viam non solum sequerentur, sed & ad Martyrii gloriam provocarentur . . . . sed persecutione sopita temperamentum salubri

mo-

moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis lapsis denegaretur, nec plus desperatione deficerent, & eo, quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti saeculum gentiliter viverent, nec tamen Censura Evangelica solveretur. Ac si minor Episcoporum in Africa (idipsum nobiscum statuentium) *numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium* (Papam) *qui & ipse cum plurimis Coepiscopis habito concilio in eandem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit. De quo tibi necesse nunc fuit scribere, ut scias, me nihil leviter egisse, sed nemini ex lapsis communicasse, quando erat* (occasio) *ut lapsus coronam acciperet, postea tamen, sicut medendi vulneris utilitas exigebat, necessitati temporum succubuisse, & saluti multorum providendum putasse.* Hucusque D. Cyprianus, qui proin ostendit, in moderando rigore regulam esse necessitatem temporum, utilitatem multitudinis, & Romani Pontificis declarationem.

II. Inquiunt: Moderni Romani Pontifices extendunt authoritatem suam ad Purgatorium, quod Antiqui non consueverunt. Deinde hodie soli Summi Ecclesiæ Pastores dispensant Indulgentias Plenarias pro toto mundo, quod olim Episcopi præstabant. Item nunc Papa cum satisfactionibus Christi dispensat etiam satisfactiones Sanctorum,

dum largitur Indulgentias, quod antiquitus Romani Pontifices non faciebant, sed erant contenti solis satisfactionibus Christi.

Repono ad I. Indulgentias pro Defunctis esse solemnes deprecationes pro Defunctis, in quibus Summus Pontifex nomine totius Ecclesiæ pro Defunctis Deo offert Christi, & Sanctorum opera, ac satisfactiones. Cum ergo semper Ecclesia oraverit pro Defunctis, ut ostendunt Polemici, & Baronius ad annum 34. à numero 314. nihil in hoc substantialiter immutatum est hodie per Romanos Pontifices in Indulgentiarum dispensatione, sed per eas solum invitant Fideles ad secum comprecandum pro Defunctis, & ut ad hoc facilius excitentur, promtitit Papa se interpositurum simul pro tali anima deprecationem Ecclesiæ, & oblaturum Deo pro illa anima Christi, & Sanctorum satisfactiones.

Ad II. ajo: etiam antiquitus relaxationes tantum fuisse factas ex tacito, vel expresso consensu Summi Pontificis. Quod relaxatio pro Mœchis habeat originem à ZEPHYRINO Papa, testatur Tertulianus, quod lapsis in Idololatriam indulta sit communio, & relaxatio, accidit id ex consensu expresso CORNELII Papæ, ut refert D. Cyprianus Epist. 52. supra relata. Modum etiam relaxationum pro Homicidis præscri-

pfit

pſit Epiſcopis Germaniæ NICOLAUS I. Denique id, quod antiquitus factum eſt ex generali conſuetudine Eccleſiæ, haud dubie vim ſuam habet ex conſenſu tacito Supremi Præſidis, cum & omnis alia conſuetudo rationem legis non accipiat, niſi ex conſenſu tacito legislatoris. Quod ſi ergo in ſimilibus taciti, & expreſſi eadem eſt vis, ſequitur etiam antiquitus, omnes Indulgentias per conſenſum tacitum Summi Paſtoris Eccleſiæ ſubſtitiſſe.

Ad III. dico: Satisfactiones Sanctorum Indulgentiis eſſe accidentales, potuerunt ergo omitti, vel addi in applicatione Indulgentiarum, quamvis eas ob ipſam convenientiam intrinſecam etiam antiquitus ordinarie adhibitas fuiſſe non ſit inficiandum. Cum ergo verſemur in re accidentali, mutatio quoad ſubſtantiam intervenire non potuit. Quod vero hæ ſatisfactiones Sanctorum Indulgentiis ſint accidentales, audi Bellarminum lib. 1. de Indulg. c. 4. *Non eſt quidem opus, ut adjungantur paſſiones Sanctorum paſſionibus Chriſti, quaſi hæ per ſe non ſufficiant: ſed adjunguntur tamen, quia æquum eſt, ut illæ paſſiones non ſint inanes . . . . quomodo autem concurrunt in hac applicatione ſatisfactiones Chriſti cum paſſionibus Sanctorum, id eſt, an applicetur una pars ſatisfactionis ex paſſionibus Chriſti, pars alia*

ex passionibus Sanctorum, an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, & superaddantur ad cumulum satisfactionis passiones Sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum. Ita Bellarminus.

ARTICULUS III.

Ostenditur, quomodo Romani Pontifices antiquitus utendo rigore Canonum, & nunc adhibendo eam moderationem, ut pœnitentiæ severioris modum communiter cujusvis arbitrio relinquant, semper respexerint ad necessitatem temporum, & utilitatem plurimorum.

I. Antiquitus Christiani vivebant permixti cum Gentilibus, qui majorem concipiebant reverentiam erga Ecclesiam, si videbant vitia tam severe elui; unde ad conciliandam hanc venerationem, & conversionem Gentilium, congruum erat uti tali remedio; & utilitas paucorum Fidelium debebat cedere publicæ honestati Ecclesiæ.

II. Natura Christianorum plurimorum recenter ex Gentilismo conversorum in populi magna parte erat adhuc nimis barbara, & vitiis dedita, ut posset mille exemplis per decem prima sæcula demonstrari; talis autem natura timore ut servilis durius tracta-

ri

ri debuit; quia, ut Sapiens ait: *Disciplina fervo.*

III. Illis temporibus plurima scelera non coërcebantur legibus civilibus, maxime fornicatio, mollities, sodomia, perjuria extrajudicialia, blasphemiæ, & universim omnes transgressiones legum Ecclesiæ; cum ergo Ecclesia tunc non habuerit aliud medium expurgandi Ecclesiam ab his fœcibus, nisi Forum Pœnitentiale, debuit in isto adhibere rigorem Canonum. Principes Christiani, cum viderent Ecclesiam satis punire talia scelera, judicia hæc Ecclesiæ reliquerunt usque ad sæculum undecimum, nec multum curarunt in foro externo illa crimina punire. Nunc autem cum omnia illa crimina severe puniantur per leges Principum, poterat Ecclesia agere mitius; quia non amplius erat periculum, ne publice talia scelera invalescerent.

IV. Antiquitus non dabantur tot subsidia promovendi sanctitatem in populo, prout nunc dantur; multiplicabantur scelera, & non erat efficax remedium resistendi torrenti, ne prorsus inundaret omnia, nisi timor Canonum Pœnitentialium: nunc autem multiplicantur Clerici, Ecclesiæ, Parochiæ, Catecheses, Conciones, Scholæ, Libri Pii, Exempla Sanctorum, ac Piorum, Leges Juris Ecclesiastici, Re-

ligiosi Ordines, Monasteria, quæ omnia virtutes promovent, vitia extirpant, juventutem Christianam partim bonis moribus imbuendo, partim à mundo extrahendo, partim in exemplum suorum propinquorum constituendo; itaque rigore tanto amplius opus non est, tempore illo, quo plus inferret damni, quam lucri.

V. Antiquitus non erant introductæ in populum tot piæ consuetudines, & devotiones publicæ, quæ, dum Fideles perpetuo occupant, ac distrahunt, potenter à malis occupationibus avocant: tales sunt Festivitates frequentes, Confessiones, Comprecationes, Peregrinationes, Confraternitates &c. Itaque sicut virga domo ejicitur liberis jam adultis, & ad sanam rationem compositis, ita antiqua disciplina non est retinenda ab Ecclesia in optimo statu constituta; neque per hoc mutatur spiritus Ecclesiæ; quia sicut anima una remanet in corpore humano pro diversitate ætatis, & senii valde diverso, ita in Ecclesia datur quædam una, ac immortalis anima legum omnium, intentio videlicet legislatoris semper respicientis ad bonum commune, ac necessitatem temporum, & utilitatem plurimorum.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

In quo ſita ſit Indulgentiæ natura, num ſolvat tantum, an abſolvat, & à quo vinculo?

ARTICULUS I.

Indulgentiæ Defunctis conceduntur per modum ſuffragii, ſeu piæ ſolutionis, & exhibitæ ſatisfactionis: vivis vero per modum judiciariæ abſolutionis habentis annexam ſolutionem.

Ratio; quia Summus Pontifex Chriſti in terris Vicarius non habet jurisdictionem in Defunctos, ſicuti in Fideles viventes, cum acceperit à Chriſto poteſtatem ſolvendi ſolum *ſuper terram*, non vero *ſub terra*. Qui autem non habet jurisdictionem in alium tamquam ſibi ſubditum, nequit eidem concedere Indulgentias per modum abſolutionis; quia concedere Indulgentias per modum abſolutionis eſt actus jurisdictionis; adeoque Summus Pontifex nequit Defunctis concedere Indulgentias per modum abſolutionis, ſed tantum per modum lytri, vel oblati pretii pro redemptione, & exſolutione debiti.

Discrimen vero Indulgentiæ per modum absolutionis, & per modum suffragii præcipue in eo positum est, quod Indulgentia per modum absolutionis concedatur, quando superior sibi subditum immediate, & directe liberat à pœna temporali. Sic Summus Pontifex tamquam Superior, & Minister à Deo constitutus immediate, & directe liberat Fideles vivos tamquam sibi subditos à pœnis temporalibus relictis post peccata jam quoad culpam dimissa concedendo eis Indulgentiam *per modum absolutionis habentis tamen annexam solutionem;* quia hæc absolutio fit cum aliqua solutione ex Thesauro Ecclesiæ, scilicet applicatione, & exhibitione satisfactionum Christi, & Sanctorum; Indulgentia igitur vivis concessa, ut est gratiosa pœnæ remissio, juridica est absolutio, prout autem hæc remissio non fit sine omni solutione, ut justitiæ legi, quæ æqualitatem spectat, & pœnæ exigit solutionem, satisfiat, annexam habet debiti solutionem. Indulgentia vero *per modum suffragii* dicitur concedi, quando non immediate, & directe, sed indirecte, & mediate, scilicet mediante actione alterius confertur: Sic Summus Pontifex concedit Indulgentias Defunctis mediantibus aliquibus piis viventium Fidelium operibus,

tam-

tamquam pretium æquivalens ex Thesauro Ecclesiæ Deo oblatum pro solutione illarum animarum, quibus ex mente Pontificis applicatur: Id videtur insinuare, aut potius supponere S. Thomas in 4. Dist. 45. q. 7. a. 3. quæstiunc. 2. ubi asserit: Indulgentias concedi Defunctis, *non directe, & principaliter, sed tantum secundario, & indirecte.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. Inquiunt: Absolutioni judiciariæ debet præmitti causæ cognitio, in concessione autem Indulgentiarum causæ cognitio non præsupponitur, cum frequentius dentur in communi. II. Si Indulgentia esset actus absolutionis, sequeretur, quod Summus Pontifex hanc consequi non posset, cum Superiorem se in terris non agnoscat, nec se ipsum absolvere valeat.

Repono ad I. Absolutioni judiciariæ particulari debere præmitti cognitionem causæ, non item generali, seu communi, & conditionatæ. Prior absolutio dicitur *ab homine.* Posterior autem *a jure* lata; illa utique causæ cognitionem requirit, non vero ista, ad quam sufficit justa, & legi-

tima causa generalem concedendi absolutionem. Ad II. nego sequellam; sicut enim Summus Pontifex tamquam homo privatus, & peccator ab alio, cui potestatem facit, tamquam reus, & subditus sacramentaliter absolvi potest, ita quoque dum ipse tamquam Caput singulis Fidelibus in particulari copiam facit percipiendi Indulgentiam Plenariam, si quædam bona opera exercuerint, utique se ipsum per hoc non excludit, cum æque, ac alii in Fidelium numero contineatur.

ARTICULUS III.

Indulgentiæ non solvunt hominem à vinculo culpæ, sive mortalis, sive venialis illa sit.

Non solvunt à vinculo culpæ mortalis, ut omnes conveniunt Theologi; quia hæc, si actualis est, dimittitur per Sacramentum Pœnitentiæ, originalis vero per Baptismum. Tum etiam; quia modo nulla mortalis culpa dimittitur sine infusione gratiæ sanctificantis; unde, quia hæc per Indulgentias non infunditur, consequitur per eas culpam mortalem non aboleri. Hac de causa Bullæ Pontificiæ eas semper contritis, & confessis dispensare consueverunt.

runt. Communius quoque ſuſtinetur, Indulgentiam nec ſolvere à culpa peccati venialis; quia & hujus peccati remiſſio de lege ordinaria fit per infuſionem alicujus gratiæ ſuppoſita diſpoſitione aliqua ex parte ſubjecti, & ideo recte dicitur, quod Indulgentia ſit *Relaxatio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ.* Nec obſtat, quod ſubin in Bullis Jubilæi, aut aliorum Privilegiorum Pontifices dicant, ſe Fideles à culpa, & pœna abſolvere. Nam I. dici poteſt, quod per culpam intelligant effectum ejus, nempe reatum pœnæ, pro quo ſæpe culpa in Sacra Scriptura, Divinis Officiis, & Miſſa Defunctorum ſumitur. II. Quod ejuſmodi Bullæ una cum Indulgentia etiam includant Sacramentum Pœnitentiæ, quod ordinarie Indulgentiis præponunt, ad delendam culpam, ut fructus Indulgentiarum rite percipiatur. III. Denique illo loquendi modo denotant, quod hoc modo non tantum concedant Indulgentiam Plenariam, ſed etiam facultatem præbeant, ut quis Sacramentaliter abſolvi poſſit ab omnibus peccatis etiam reſervatis, qui modus ordinarius eſt in conceſſione Jubilæi.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An pœnarum per Indulgentias relaxatio à primis temporibus ab Ecclesia adhibita valuerit etiam in foro interno, & coram Deo?

℟. Constare ex antiquo Ecclesiæ usu hanc relaxationem Pœnæ Canonicæ validam fuisse etiam coram Deo I. Quia olim Episcopi in relaxatione Pœnæ Canonicæ in Cœna Domini utebantur formula deprecatoria simili illi, qua absolutionem Sacramentalem initio Quadragesimæ concedebant, & in utraque absolutionem petebant à peccatis in remedium animæ, ut videre est in Antiquo Ordine Romano: sicut ergo illa absolutio, quæ data fuit initio Quadragesimæ, respiciebat forum internum, & coram Deo absolvebat: ita & hæc. II. Quia tempore S. Cypriani Fideles putabant se liberari à Numinis vindicta, & ira Dei, si Martyrum intercessione obtinuissent relaxationem Pœnæ Canonicæ, ut legere est in Cypriani Epistolis; imo S. Cyprianus ipsemet fassus est sermone de lapsis, in hac re plurimum coram Deo valere intercessiones, & merita Martyrum respectu eorum, qui se illis per conatum congruum pœnitentiæ dignos redderent. III. Quia Clerus Romanus in Epist. 30. ad D. Cypria-

prianum teſtatur, totum populum Carthaginenſem credidiſſe, per Libellos Martyrum, ſe jam obtinuiſſe pacem in Cœlis, carpitque ſolum, quod hoc ſperare præſumpſerint ſine miniſterio Sacerdotum: ergo accedente hoc miniſterio admiſit valere relaxationes Pœnæ Canonicæ coram Deo, ſic loquitur: *Mirati ſumus, lapſos eouſque proſilire voluiſſe, ut pacem non tam peterent, quam vindicarent, imo jam & in Cœlis ſe habere dicerent . . . . ſi dandam illis pacem Martyres judicaverunt, cur ipſi non dederunt? cur ad Epiſcopos remiſerunt? tempus eſt, ut agant delicti pœnitentiam, ut de ſubmiſſione provocent in ſe Dei clementiam, & de honore debito in Dei Sacerdotem eliciant in ſe Divinam Miſericordiam . . . . facilius impetratur, quod petitur, quando is, pro quo petitur, condignus eſt, ut quod petitur, impetretur.* IV. Si Indulgentiæ ſolum valerent coram Eccleſia, non vero coram Deo, tunc à tempore Apoſtolorum in re maximi momenti Fideles decepiſſet Eccleſia eximendo illos à pœna hic mitiſſima, & remittendo eos ad graviſſima Purgatorii tormenta.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

An Indulgentiæ juxta antiquam formulam concessæ *de pœnitentiis injunctis*, etiam valeant pro *pœnitentiis injungendis?*

℟. Per Indulgentias remitti pœnam temporalem sive *injunctam*, sive *injungendam*, hoc est, virtute Indulgentiarum delentur pœnæ cùm illæ, quas Confessarius imponit, aut Sacri Canones taxant, tum illæ, quæ universim quoquo modo coram Deo debitæ sunt. Audi S. Thomam in Suppl. quæst. 25. a. 1. *Quidam dicunt, quod non valent ad absolvendum à reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundum Dei judicium meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam obligatur etiam ex Canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo; quia est expresse contra Privilegium Petro datum, cui dictum est:* UT QUOD IN TERRA REMITTERET, IN COELO REMITTERETUR, *unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi Indulgentias faciens magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, absolvendo à pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent, & quantum ad forum Ec-*

Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remissionem, & absolutionem, sive sit injuncta, sive non. Id etiam declarasse S. Pium V. scribit R. P. Bartholomæus de Angelo Ord. S. Dominici in suo Opusculo edito Neapoli A. C. 1574. sub titulo: *Consolatione de Penitenti*, ubi c. 4. sic scribit: *Indulgentiæ valent ad delendas pœnas non tantum injunctas à Confessario, aut taxatas per Sacros Canones, sed universim omnes coram Divina Justitia debitas. Pro hujus confirmatione recordor, quod cum aliquando de hac quæstione loquerer cum Magistro Ambrosio Salvio de Bagnolo, nunc Episcopo de Nardo, respondit; hoc ipsum dubium se proposuisse oretenus Pio V. Summo Pontifici, ab eodemque petiisse declarationem. Post longum ea de re colloquium tandem S. Pontifex oculos, & manus in Cœlum elevans in hæc verba prorupit: Ego Pius V. authoritate Dei Omnipotentis, & B. B. Apostolorum Petri, & Pauli declaro, & sic volo, quod quotiescunque in aliqua Bulla reperiuntur concessæ Indulgentiæ tot annorum pro pœnitentiis injunctis, debeat intelligi non solum de pœnitentiis à Confessario injunctis, sed de pœnitentiis quocunque modo debitis, ac injungendis.* Item potestas Ecclesiæ collata Matth. c. 16. absoluta est, & nulla limitatione circumscripta: neque in traditione fundamentum est ullum, quo restringere

gere cogamur hanc potestatem ad pœnas in Sacramento injunctas, vel per Canones constitutas. Et quamvis aliquando Indulgentiæ hac formula concessæ reperiantur: *De pœnis injunctis;* attamen absque ejusmodi formula indultæ reperiuntur à Bonifacio VIII. in Extravag. *Antiquorum:* à Clemente VI. in Extravag. *Unigenitus:* à Sixto IV. in Extravag. *Quemadmodum.* & ab aliis Summis Pontifibus, qui Plenissimas Indulgentias concedunt, hoc est, quantum se extendit eorum potestas.

QUÆSTIO IX.

Utrum Indulgentiæ pœnitentem à medicinalibus, & satisfactoriis pœnitentiis subeundis liberent?

R. Satis patere ex *1mæ* quæstionis *3tio* articulo, ubi veram Indulgentiæ ideam exposui, non solum medicinales, sed etiam satisfactorias, & vindicativas pœnitentias iis quoque à Confessariis injungendas, & à pœnitentibus perficiendas esse, quibus Indulgentiæ conceduntur, licet satisfactoria mitior esse possit, dum eam opera injuncta supplent, sed hac quoque in re cautos esse oportet Sacerdotes, ne contra Ecclesiæ mentem agant. Videri potest Eusebius Amort, qui ex Patribus, Conciliis, Summis

mis Pontificibus, ac Graviſſimis Theologis etiam ſatisfactoriæ pœnitentiæ obligationem oſtendit. Jam loquendo de Pœnitentia medicinali.

Supponamus pœnitentem, qui deteſtatur peccata, qui à peccato abſtinere proponit, qui tactus vero cordis dolore à peccato, & creaturis averſus, & ad Deum converſus eſſe incipit. Supponamus iterum medicinalem Pœnam neceſſariam ei eſſe, ut in propoſito ſtet, ut in converſione perſeveret, quis dicat hunc Indulgentiæ virtute ab hac medicinali Pœnitentia ſubeunda liberari? Indulgentia datur vere pœnitentibus, at vere pœnitens non eſt, qui pœnitentiam implere non vult, qua propoſitum firmetur, & converſio perficiatur, ut conſideranti patet. Deinde quodcunque peccatum lethale in anima etiam poſt Sacramentalem Abſolutionem relinquit qualitates malignas: ergo peccatores omnes medicinali indigent Pœnitentia, qua ab hujuſmodi morbo curentur pro criminum, & ſtatus diverſitate. Nec iis (qui contrarium ſuſtinent) Antiquorum ſavet authoritas, qui injungendam Pœnitentiam negant, dum Indulgentia eſt conceſſa; nam illi de Pœnitentia loquuntur, quam Confeſſarii ex præſcripto Canonum

Pœnitentialium injungere debebant, cujus loco opera injuncta adimplenda erant.

Præterea in rei hujus comprobationem Cardinalis Denhoff Episcopus Cæsanatensis in sua Instructione Pastorali ita scribit: *Cavete vobis ab abusu, quem nonnulli Sacerdotes invehunt, qui tempore Jubilæi, aut occasione Plenariæ Indulgentiæ, gravissimorum criminum reis levissimas satisfactiones decernunt, hoc nimirum obtutu, quod ejusmodi Indulgentiæ, si opera in concessionibus Summorum Pontificum assignata accurate persolvantur, simul cum culpa pœnam etiam penitus aboleant. Hæc enim agendi ratio adversatur menti Sanctæ Ecclesiæ, quæ quidem cupit filiis suis opem ferre, ut pœnæ debitum exsolvant, cui solvendo impares sunt, nonnulli quidem virium inopia, alii vero vitæ termino prohibiti: quare complures non adimplent Pœnitentiam delictis suis convenientem: sed extmere non vult ab obligatione legis Divinæ, quæ idoneos Pœnitentiæ fructus facere jubet: neque desides reddere, aut tardiores in operibus satisfactoriis, quæ tantopere in Sacris Scripturis, & à SS. Patribus commendata sunt, sedulo exercendis.* Ideo Concilium Trid. Sess. 14. c. 8. tradit nusquam esse in Ecclesia semitam tutiorem, qua liceat evadere supplicia, quæ Deus peccantibus minatur, quam crebro in hujusmodi pœnitentiæ

tentiæ operibus agendis occupari, idque cum vero, & sincero doloris affectu: *Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Deo pœnam, quam, ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

Hanc Ecclesiæ mentem multoties indicant Summi Pontifices in suis Indulgentiarum litteris, quibus exprimunt, se eas largiri vere pœnitentibus, per quæ verba requirunt sinceram omnium delictorum detestationem; firmum animi propositum deinceps non relabendi, & voluntatem Divinæ Justitiæ appositè satisfaciendi. Dum postea homo lapsus ita est constitutus, ut ad placandam Divinam Justitiam partes suas sedulo agat, Ecclesia velut Pia Mater in auxilium accurrit, ut Indulgentiæ beneficio, quod restat debiti, solvat, vel plene, si Indulgentia est Plenaria, vel partem, si est partialis. Hinc oritur, quod Plenaria Indulgentia non omnibus, qui depositò peccandi affectu præscriptas conditiones ad amussim adimpleverunt, ex asse cedat in plenam solutionem; quia non omnes eandem habuere debiti rationem, nec omnes æquali studio pro viribus egerunt, ut ejusmodi debita extinguerentur, vel diminuerentur, ad quæ duo beneficia dispensator

teste S. Bonaventura in 4. Sent. dist. 20. q. 6. sub finem, respicere censendus est: *Indulgentiæ, quantum est ex potestate dantis tantum valent, quantum promittunt. Non tamen cuilibet valent tantum, nec æqualiter omnibus, sed secundum existimationem ejus, quam habuit, vel habere debuit, qui Indulgentiam fecit: quam non oportuit exprimere, quia omnes Fideles debent illud in corde præsupponere, quod dona, & miserationes Sancti Spiritus donentur cum æquo libramine.*

Liquet hæc eadem veritas ex quibusdam Romanorum Pontificum Constitutionibus, in quibus expresse fatentur, hanc sibi intentionem inesse; sic BONIFACIUS VIII. in Decret. incip. *Antiquorum.* Extravag. de pœnit. & remiss. promulgans Indulgentiam Universalis Jubilæi ait: *Unusquisque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit.* Et INNOCENTIUS IV. in statuto edito in primo Concilio Lugdunensi, quo iis Plenariam concedit Indulgentiam, qui sumptus conferrent in Bellum Sacrum, inquit, unumquemque lucrifacturum *juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum.* Quibus Pastores Supremi satis indicant Plenariæ Indulgentiæ quemque reddi participem tum secundum modum operum Pœnitentiæ,

quæ

quæ fecerit, tum ſecundum piæ devotionis fervorem, atque iſta ratione imminui debitum ſatisfactionis.

Cardinalis Baronius Vir ſane magnus Eccleſiæ de Indulgentiis mentem apprime aſſecutus, poſtquam Indulgentiam à GREGORIO VII. conceſſam Epiſcopo Lincolnienſi ea conditione, & lege, ne opera Pœnitentiæ negligantur ſecundum cujusque facultatem, ſuis Annalibus ad annum 1073. inſeruiſſet, ait Sanctum Pontificem hanc legem, & conditionem adjeciſſe: *Ut appareat, Sedis Apoſtolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantum ſuppetunt vires, bene operari non prætermittunt, non autem ignavis, otioſis, ac negligentia torpeſcentibus.*

Idem ſenſit S. Thomas in 4. Sent. diſt. 20. a. 3. quæſtiuncula 1. ad 4. *Conſulendum eſt* (inquit) *eis, qui Indulgentiam conſequuntur, ne propter hoc ab operibus Pœnitentiæ injunctis abſtineant, ut ex his remedium conſequantur, quamvis à debitis pœnæ eſſent immunes: & præcipue, quia quandoque ſunt plurium debitores, quam credant.* Angelici hujus Doctoris ſecutus eſt doctrinam Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 12. inquiens: *Omnino ſic accipiunt prudentes Chriſtiani Pontificias Indulgentias, ut ſimul etiam ſtudeant dignos fructus ferre, ac pro ſuis peccatis Domino ſatisfacere.*

Solvitur Objectio.

Inquiunt. Indulgentiæ sunt *Plenariæ*; ergo omnem plane temporalem pœnam remittunt: igitur Confessarii nullam pœnam satisfactoriam, aut medicinalem imponere pœnitentibus debent, nec ullam subire pœnitentes obligantur, dum Plenaria eis concessa est Indulgentia.

Repono: Indulgentiam ideo *Plenariam* dici; quia plene, & integre supplet id, quod ad integram deest satisfactionem; & ita *Plenaria* vocatur, ut includit, & non excludit opera satisfactoria. Præterea *Plenaria* Indulgentia juxta mentem concedentis, & dispositiones suscipientis attendenda est. Dum vero Summi Pontifices *Plenariam* Indulgentiam largiuntur, eam vere pœnitentibus concedunt. Jam quæro, sunt-ne vere pœnitentes, qui injunctam à Confessariis satisfactoriam pœnitentiam adimplere intuitu Indulgentiæ recusant? Quid vero, si pœnitentia medicinalis sit ordinata ad curandos illos animæ morbos, qui homines ad peccandum proclives faciunt? Certe vere pœnitens judicari non debet, qui respuit medicinam illam, quæ ad firmandum de non peccando propositum necessaria est. *Plenaria* iterum ex parte suscipientis est Indulgentia, quando is tanto de-

devotionis fervore, tanto charitatis affectu, & tantis pietatis operibus se disponit, ut ei omnis remittatur pœna: at hæ dispositiones in eo, qui non susciperet onus satisfactoriæ pœnitentiæ à Confessario injunctum, omnino desiderarentur; idcirco tenetur pœnitens etiam Jubilæi tempore has pœnitentias adimplere, & Confessarius eas imponere debet, veluti opera ad Sacramentum Pœnitentiæ complendum ordinata. Faliuntur itaque, qui docent, *In praxi decere tantum, ut Confessarius istas imponat*, cum imponere revera obligetur, etiam attenta Bonifacii VIII. Bulla, in qua Jubilæi Indulgentia *solis vere pœnitentibus* promittitur, atque conceditur. Ad Glossam, quod attinet, quæ asserit, noluisse Bonifacium, ut Confessarii aliquam pœnitentiam injungerent, dici primum potest, id adversari ipsius Bonifacii Bullæ, ut mox visum. Deinde exponi Bonifacii intentio potest de pœnitentiis per Canones, non vero de pœnitentiis medicinalibus, & satisfactoriis à Confessario injungendis ad medendos animæ morbos.

QUÆSTIO X.

QUænam Dispositiones requirantur in suscipiente, ut lucrari possit Indulgentias?

R. Requiri I. Ut lucraturus Indulgentiam sit *in gratia Dei* eo tempore, quo eas consecuturus est; quia reatus pœnæ non tollitur, nisi sublato reatu culpæ. Ad plenam insuper omnium simpliciter peccatorum Indulgentiam requiritur immunitas ab omni simpliciter peccato veniali; quia durante culpa durat & pœna tamquam effectus. II. Ut sit *homo baptizatus;* quia communis Ecclesiæ Thesaurus non dispensatur, nisi membris. III. Ut sit *subditus concedentis;* quia Indulgentiarum concessio est actus jurisdictionis. IV. Ut *excommunicatione majore non sit irretitus;* quia hæc privat communione Bonorum Spiritualium. V. Ut *opera præscripta integre perficiat;* quia sub conditione operis conceditur Indulgentia, & non aliter; proin, quia concessio conditionata non valet, nisi conditio impleatur, præsertim si concessio est favor voluntarius, qualis est Indulgentia, consequitur ad ejus consecutionem integram operum expletionem esse necessariam; unde Indulgentiam non lucraretur, qui etiam inculpate, vel ob impotentiam, vel oblivionem, vel ignorantiam invincibilem omitteret aliquod opus injunctum. VI. Ut *opera præscripta perficiat per se ipsum*, excepta eleemosyna, quæ etiam per famulum fieri potest à Domino.

Pe-

Petes. Qualis requiratur intentio ad consecutionem Indulgentiæ?

R. Ex Eusebio Amort primo: Quando in Bulla requiritur determinata intentio v. g. ut orent *Pro exstirpatione hæresum, pro concordia Principum, pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, pro avertendis calamitatibus publicis, bello, fame, peste, terræmotu &c.* requiritur intentio expressa, ac formalis saltem virtualiter perseverans offerendi hujusmodi orationes, vel opera in eum finem; neque lucrantur Indulgentias, omittentes ejusmodi intentionem, aut solum in genere orantes *Ad Intentionem Ecclesiæ*, si fuerint alias capaces formandi ejusmodi intentionem; quia preces cum intentione specifica ad determinatum finem sunt longe validiores, quam generales; sic efficacior est Oratio, si determinate oro pro Patre, Matre, Fratre, Petro &c. quam, si tantum in genere orem, aut offeram Missam pro iis, pro quibus hic, & nunc debeo; cum ergo Ecclesia velit modo efficaciori obtinere intentum finem, censendum est, quod exigat intentionem expressam, formalem, ac specificam, juxta argum. text. in L. *Quædam mulier* ff. de rei vindic. *In dubio præsumitur id factum* (aut requisitum) *quod de jure erat faciendum* (aut requirendum.)

Secundo : Quando in Bullis non exigitur determinata intentio, sed solum determinatum opus, requiritur saltem intentio virtualis lucrandi eam Indulgentiam in specie: talis intentio virtualis esset, si mane propono, quod per diem recitando consuetas preces, visitando Sanctissimum, aut recitando Rosarium &c. velim lucrari annexas, quas in specie cognosco, Indulgentias.

QUÆSTIO XI.

Quæ sint opera pro acquirendis Indulgentiis injungi solita?

℟. Opera, quæ pro Indulgentiarum præcipue Jubilæi acquisitione præscribi solent, esse sequentia. 1. Processio. 2. Visitatio Ecclesiarum. 3. Oratio in illis. 4. Confessio. 5. Communio. 6. Jejunium. 7. Eleemosyna.

Indulgentiæ à Pontifice concessæ iis, qui cum Confessione, & Communione Ecclesiam aliquam visitant, non exigunt, ut Ecclesia visitetur post Confessionem, & Communionem, sed sufficit, ut si visitetur ante statum gratiæ, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi, & communicandi, ut ex pluribus Theologis firmatur

tur à BENEDICTO XIV. Inſtit. Eccleſ. 48. §. 10.

Ut acquiratur Indulgentia, quæ conceſſa eſt pro Confeſſis, & Sacra Communione refectis, requiritur Confeſſio actualis, & Communio Sacramentalis. BENEDICTUS XIV. Conſtit. incip. *Inter præcipuos.* §. 3.

Ad rem attendendum eſt noviſſimum Decretum Sacræ Congreg. Indulgentiis præpoſitæ emanatum die 19. Maji 1759. tenoris ut ſequitur:

„ Ut Chriſti Fideles ſcire poſ-
„ ſint, quid ſibi tenendum foret pro
„ acquirendis Indulgentiis in ſenten-
„ tiarum varietate ſuper intelligen-
„ tia verborum: *Qui vere pœnitentes,*
„ *confeſſi, ac Sacra Communione refe-*
„ *cti Eccleſiam viſitaverint:* quæ in In-
„ dulgentiarum Brevibus inſeri ſo-
„ lent, in Congregat. Indulgentiis,
„ Sacrisque Reliquiis præpoſita diſ-
„ cuſſis, die 31. Martii proxime
„ præteriti, nonnullis dubiis eadem
„ Sacra Congregatio fuit in voto,
„ Confeſſionem Sacramentalem,

„ quan-

„ quando in Brevibus apponitur
„ pro Indulgentiarum consecutione,
„ peragi omnino debere etiam ab
„ iis, qui sibi lethalis peccati con-
„ scii non sunt, nec non præfatam
„ Confessionem suffragari etiam pos-
„ se, si expleatur in vigilia Festi-
„ vitatis. Quod autem ad Eccle-
„ siæ visitationem spectat, eam im-
„ pleri posse, sive ante, sive post
„ aliorum piorum operum imple-
„ mentum.

„ Factaque de iis per me infra-
„ scriptum ejusdem Sacræ Congre-
„ gationis Secretarium relatione
„ Sanctissimo D. N. Sanctitas sua
„ ejusdem Sacræ Congreg. votum
„ benigne approbavit, illudque pu-
„ blicari mandavit, quibuscunque
„ in contrarium facientibus non ob-
„ stantibus.

F. J. Card. Portocarrero Præf.
A.E. Vicecomes S.C. Indulg. Secret.

Ad-

Addendum eſt hoc aliud Decretum ejuſdem Sacræ Congreg. in declarationem præcedentis emanatum.

„ Cum Sac. Congreg. Indulg. &
„ Sacris Reliquiis præpoſita die 31.
„ Martii fuerit in voto Confeſſio-
„ nem Sacramentalem, quando in
„ Brevibus apponitur pro Indul-
„ gentiæ conceſſione, peragi omni-
„ no debere, etiam ab his, qui ſi-
„ bi lethalis peccati conſcii non ſunt,
„ nec non præfatam Confeſſionem
„ ſuffragari etiam poſſe, ſi in vi-
„ gilia Feſtivitatis expleatur, vo-
„ tumque Congregationis S.S. D.D.
„ N. Clemens Papa XIII. benigne
„ approbaverit, illudque typis pu-
„ blicari ſub datum 19. Maji præ-
„ dicti anni mandaverit, quamplures ſupplices Libelli tum Regularium Communitatum, & præſertim Monialium; tum etiam
„ Parochorum, & nonnullorum
„ Epiſcoporum pro ſuis Diœceſi-

„ bus

„ bus porrecti sunt, quibus maxi-
„ ma exponebatur difficultas, quæ
„ interdum, imo persæpe incidit
„ pro Sacramentali Confessione, si-
„ ve in Festo, vel ad minus in vi-
„ gilia peragenda: Quamobrem,
„ ut adeo proficuus Indulgentia-
„ rum Thesaurus reddatur Fideli-
„ bus accommode comparandus,
„ enixis precibus supplicabant San-
„ ctitati suæ, ut opportuno aliquo
„ remedio de Apostolicæ Sedis ple-
„ nitudine providere dignaretur,
„ quibus precibus ad prædictam
„ Sac. Congreg. remissis propositum in ea fuit dubium . . . .

„ *An, & quomodo sit consulendum*
„ *Sanctissimo super præfati Decreti exe-*
„ *cutione, vel declaratione in casu &c.*
„ responsum fuit . . . . *Consulen-*
„ *dum S.S. D.D. N. ut concedere di-*
„ *gnaretur Indultum omnibus Christi*
„ *Fidelibus, qui frequenti peccatorum*

„ *Con-*

„ *Confessione animam studentes expia-*
„ *re, semel saltem in hebdomada ad Sa-*
„ *cramentum Pœnitentiæ accedere, nisi*
„ *legitime impediantur, consueverant,*
„ *& nullius lethalis culpæ à se post*
„ *peractam ultimam Confessionem com-*
„ *missæ sibi conscii sunt, ut omnes, &*
„ *quascunque Indulgentias consequi pos-*
„ *sint, etiam sine actuali Confessione,*
„ *quæ ceteroquin juxta præfati Decreti*
„ *definitionem ad eas lucrandas necessa-*
„ *ria esset. Nihil tamen innovando cir-*
„ *ca Indulgentias Jubilæi tam Ordinarii,*
„ *quam Extraordinarii, aliasque ad*
„ *instar Jubilæi concessas, pro quibus*
„ *assequendis, sicut & alia opera in-*
„ *juncta, ita & Sacramentalis Con-*
„ *fessio tempore in eorum concessione præ-*
„ *scripto peragantur.*

„ Et facta per me infra scriptum
„ ejusdem Sac. Congreg. Secret. de
„ præmissis omnibus S. S. D. D. N.
„ relatione, Sanctitas Sua piis Bono-
„ rum

„ rum desideriis, ac votis satisfa-
„ cere, & Indulgentiarum gratias
„ iis potissimum, qui pie, sancte-
„ que vivendo, donis Divinæ Mi-
„ sericordiæ digniores efficiuntur,
„ elargiri quam maxime cupiens,
„ benigne annuit, & præfatum In-
„ dultum in forma supra scripta
„ expediri, & publicari mandavit
„ quibuscunque in contrarium non
„ obstantibus.

„ Datum ex Secretaria Sac. Con-
„ greg. Indulg. die 9. Decembris
„ 1763.

N. Card. Antonellus Præf.
Joseph de Comitibus S.C. Indulg. Secret.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

Num Indulgentiæ applicari poſſint Defunctis, & qua ratione ipſis proſint?

℟. Indulgentias poſſe à Summo Pontifice concedi, & applicari etiam Defunctis, qui in Purgatorio detinentur. Id quod conſtat ex communi ſenſu, & praxi Eccleſiæ, in qua nihil tam uſitatum eſt, quam applicare Indulgentias pro Defunctis. Et tradit JOANNES VIII. in Epiſt. 144. & LEO X. in Conſtit. incip. *Exurge Domine.* contra Lutherum.

Non poſſunt tamen ipſis concedi Indulgentiæ *per modum abſolutionis* habentis annexam ſolutionem, ſicut conceduntur vivis; quia Summus Pontifex Chriſti in terris Vicarius non habet jurisdictionem in Defunctos, ſicuti in Fideles viventes, cum acceperit à Chriſto poteſtatem ſolvendi ſolum *ſuper terram*, non vero *ſub terra*, qui autem non habet jurisdictionem in alium tamquam ſibi ſubditum, nequit eidem concedere Indulgentias *per modum abſolutionis*, quia concedere Indulgentias *per modum abſolutionis* eſt actus jurisdictionis.

Largitur ergo ipſis Indulgentias ſolum *per modum ſuffragii*, ſeu *piæ ſolutionis*, & *exhibitæ ſatisfactionis*, quam tamen Deus acceptare non tenetur; ſicut ſi aliquis eſſet

incarceratus ob patratum homicidium, Judex non tenetur reum è carcere dimittere, si amicus offerret pro liberatione pecuniam, vel si ipsemet amicus se offerret ad subeundam pœnam pro reo; quia justitia exigit, ut ille puniatur, qui deliquit, sic etiam Ecclesia quidem per Indulgentias offert Deo opera satisfactoria Christi, & Sanctorum, sed Deus non tenetur acceptare hanc oblationem; unde Ecclesia concedendo Indulgentias pro Defunctis offerendo Fidelium preces Deo, exorat etiam eundem, ut dignetur acceptare merita Christi, & Sanctorum pro liberatione talis animæ, cui applicatur Indulgentia, & ita Indulgentiæ conceduntur Defunctis per modum *solutionis &c. & simul deprecationis.* Quo posito satis apparet, animas, quibus Indulgentiæ applicantur, non liberari ex justitia, sed ex misericordia, & arbitraria Dei acceptatione.

Hanc opinionem tuetur Passerinus, cujus doctrinam probat clarissimus Eusebius Amort, examinans enim ille: *An Indulgentiæ pro Defunctis habeant effectum infallibilem?* ita respondet: *Prima sententia id negans habet tres rationes. Primo; quia inferior non potest aliquem infallibiliter liberare à pœna inflicta per Superiorem, etiam compensando, & dando æquivalens, nisi Superior se spe-*

specialiter obligaverit ad acceptandum compensationem. Quod vero Deus promiserit, ac se obligaverit ad acceptandam compensationem pro Defunctis, non constat. Secundo: Sententia Judicis post mortem transit ex conditionata in absolutam; unde non remanet locus satisfactioni per compensationem, quæ innititur justitiæ, sed solum, quæ innititur Divinæ Misericordiæ. Tertio: quia ob hanc causam etiam privata suffragia non habent infallibilem effectum, dum fiunt pro Defunctis, sed solum ex libera acceptatione Divinæ Misericordiæ. Cardinalis etiam Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 14. vocat hanc sententiam *valde rationabilem.* Unde certum non est, quod anima, pro qua in Altari Privilegiato Missa dicitur, ea statim Cœlo reddatur; quis enim certo definiat, quod ab una pendet Dei voluntate.

Nihilominus tamen de ejusmodi animæ liberatione moralis quædam certitudo desumi potest ex modo loquendi Summorum Pontificum, qui in Brevibus Altarium Privilegiatorum concedere solent: *Ut quicunque Sacerdos,* servatis servandis, ac diebus in Brevi specificatis, *Missam Defunctorum pro anima cujuscunque Fidelium Defunctorum ad præfatum Altare celebrabit, anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita Domini*

nostri &c. suffragantibus meritis Purgatorii pœnis liberetur.

Petes: Quid nomine *suffragii* intelligatur?

R. Per *suffragium* intelligi à Theologis subsidium Ecclesiasticum, quod conferri potest, aut merendo per bona opera, aut impetrando per orationes, aut satisfaciendo per tolerantiam adversitatum.

QUÆSTIO XIII.

Quid requiratur ad hoc, ut Defunctis Indulgentiæ prosint?

R. I. Ex parte concedentis ultra legitimam potestatem requiritur etiam justa, & rationabilis causa. Desumitur ex Extravag. *Unigenitus* de pœnit. & remiss. inter Communes, ubi expresse dicitur: *Christum Ecclesiæ Thesaurum per suos Vicarios reliquisse dispensandum salubriter, & propriis rationabilibus causis.* Et est ratio; quia Papa non est Dominus Thesauri Ecclesiastici, sed solum Dispensator ex 1. ad Corinth. c. 4. ibi: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei, & quidem in ædificationem, & non in destructionem* ex eadem 1. ad Corinth. c. 10. foret autem in destructionem, si absque ulla rationabili causa, & excessive dispensaret;

arg.

arg. cap. *Cum ex eo* 14. de pœnit. & remiſſ. ubi expreſſe habetur: *Quia per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias, quas quidam Eccleſiæ Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur.* II. Ex parte viventium, qui pro mortuis lucrantur Indulgentias, requiritur *primo:* integra operum præſcriptorum executio. *Secundo:* ut talia opera fiant ex intentione lucrandi Indulgentiam pro Defunctis. *Tertio:* debet ille, qui lucratur Indulgentias pro Defunctis, eſſe in ſtata gratiæ ſaltem in fine operis injuncti. Hoc probabilius, & tutius reputo, quidquid alii in contrarium doceant. III. Ex parte Defunctorum requiritur, ut ſint omnino digni, & idonei, pro quibus tale Indulgentiæ ſuffragium à Deo liberaliter acceptetur, quia e. g. dum in humanis agerent, ſoliciti erant in acquiſitione Indulgentiarum, & oratione pro Defunctis, ut in ſimili de Miſſæ Sacrificio, Eleemoſynis, & Orationibus dicit S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis c. ult. relatus C. *Non æſtimemus* 19. cauſ. 13. q. 2. his verbis: *Non pro quibus ſiunt, omnibus proſunt, ſed his tantum, pro quibus, dum vivunt, cooperantur, ut proſint.* Et in C. *Tempus.* 23. eadem cauſ. & quæſt. his verbis: *Sed hæc eis proſunt, qui, cum viverent, hæc ſibi, ut poſtea poſſent prodeſſe,*

meruerunt. Exemplum hujus habetur in vita Rabani Mauri, ubi narratur rejectio suffragiorum pro demortuo Cœnobii Promo, qui vivus defraudaverat Defunctos subsidio eleemosynæ per Abbatem constitutæ. Sic refert Raynaudus t. 7. p. 2. q. 5. fol. 289. col. 1. & 2.

QUÆSTIO XIV.

Quid per Jubilæum intelligatur, quotuplex illud sit, quando incæperit Romanum, intra quod tempus recurrat, quibus ritibus indicetur, inchoetur, & finiatur, quæ Basilicæ, & quoties pro eo consequendo visitandæ?

ARTICULUS I.

Notio Jubilæi.

Ab Hebræis Jubilæum vocabatur annus remissionis quolibet quinquagesimo recurrens, quo cuilibet suæ Possessiones, Domus, Agri, Vineæ, & alia hujusmodi, quæ per hypothecam, venditionem &c. à se alienaverat; Mancipia item suæ libertati sine aliquo pretio restituebantur, quo etiam anno terra non colebatur, sed vescebantur Judæi iis, quæ vel annis præteritis collegerant, vel anno illo terra ipsa absque ulla cultura sponte producebat, quod totum patet

tet ex Levitico c. 25. ubi inter alia sub. ℣. 10. & 11. hoc speciale Præceptum Judæis fuerat impositum: *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ, ipse enim est Jubilæus: revertetur homo ad Possessionem suam, & unusquisque redibit ad Familiam pristinam, quia Jubilæus est, & quinquagesimus annus.*

Quia autem D. N. J. Christus non venit solvere legem, sed spiritualiter adimplere ad similitudinem antiqui ritus, utpote futurorum præfigurativi in Ecclesia Catholica altiore quadam ratione institutus fuit annus Jubilæus, seu Jubilæi, communiter appellatus *Annus Sanctus* eo, quod eo ipso anno plenissima peccatorum remissio sit concessa, & ad eam lucrifaciendam sanctissima pietatis opera à Fidelibus perficiantur; unde annus Jubilæi sic à Theologis describitur: *Annus, quo visitantibus certas Ecclesias, & certa pia opera facientibus Indulgentia Plenaria conceditur, cum facultatibus circa absolutionem à peccatis, & censuris reservatis, & circa commutationem votorum.*

ARTICULUS II.

Partitio Jubilæi.

Aliud est *Romanum*, quod Romæ Anno Sancto celebratur. Aliud *Campostellanum*, quod ex concessione ALEXANDRI III. habetur Compostellæ toto illo anno, quo S. Jacobi Apostoli Festum incidit in diem Dominicum. Tertium *Extraordinarium*, quod post absolutum Romæ Annum Sanctum à Papa conceditur pro aliis Provinciis extra Italiam, si Nuncii Apostolici, vel Episcopi requirant, possuntque in partibus illud iterum lucrari, qui id Romæ lucrati fuere. Hoc quoque post Coronationem Summi Pontificis (quale à à Sanctissimo Domino Nostro Papa CLEMENTE XIV. ex Sacro Ordine Fratrum Minorum Conventualium S. P. Francisci nato in Diœcesi Ariminensi anno 1705. die 31. Octobris, ad Cardinalitiam Dignitatem per CLEMENTEM XIII. nuper defunctum promoto die 24. Decembris. 1759, tandem hoc anno 1769. die 19. Maji ad supremam Divi Petri Cathedram glorioſissime evecto indicendum speramus) ac sæpe ex aliis gravibus causis indici solet, continetque non solum Indulgentiam Plenariam instar Anni Sancti, sed etiam confert

fert facultatem eligendi Confeſſarium ab Ordinario approbatum, qui à reſervatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, & Cenſuris abſolvat, Vota commutet, exceptis Votis Perpetuæ Caſtitatis, & Religionis.

ARTICULUS III.

Origo Jubilæi Romani.

Secundum Polydorum, Virgilium &c. non recte à Bonifacio VIII. ex quo ipſe vere Magnum Jubilæum inſtituit pro anno 1300. ut conſtat ex ejus Extravag. incip. *Antiquorum* de pœnit. & remiſſ. derivatur, cum conſtet antecedentibus temporibus Jubilæos fuiſſe celebratos, ut oſtendunt Navarrus de Jubilæo not. 1. & Benzonius lib. 3. c. 4. Cardinal. Lauræa. Panzirol. Panvin. Victorell. Turrecremata. Palaus §. 1. principium Jubilæi refert ad tempora Apoſtolorum Petri, & Pauli. Et Gherard. in Hiſtor. lib. 13. pag. 410. ſuſtinet Anni Jubilæi inſtitutionem vel ab ipſis Apoſtolis, vel à Pontificibus immediatis eorum Succeſſoribus ortam. Scaliger in Euſeb. p. 18. & Petavius in Rationar. tempor. referunt Jubilæos celebratos anno 49. & 50. poſt Chriſtum natum, & Joannes Card. Monachus teſtatur in cit. Extravag. *Antiquorum*,

quod ex ipsius Bonifacii ore audiverit: *Se ad hujusmodi Constitutionem edendam impulsum esse, quia vulgatum est, quod talis Indulgentia in annis centesimis à Nativitate Christi olim concedi solebat.*

ARTICULUS IV.

Tempus Jubilæi.

Jubilæum à Bonifacio VIII. pro unoquoque centesimo determinatum anno 1300. in sua Constit. *Antiquorum* fuit postea reductum ad quinquagesimum à Clemente VI 1350. in sua Constit. incip. *Unigenitus*, & sic anno 1350. fuit prima vice Jubilæus quinquaginta annis anticipatus. Deinde Urbanus VI. creatus Pontifex anno 1378. decrevit, ut in memoriam annorum triginta trium, quibus Christus Dominus in terris vixit, Jubilæus celebraretur quovis anno trigesimo tertio, ut late scribunt Benzonius lib. 3. c. 6. & Sanctarellus c. 1. dub. 3. Hanc Urbani reductionem ad triginta tres annos ratam habuerunt, & servaverunt Martinus V. & Nicolaus V. ut enunciat Paulus II. in sua Constit. incip. *Ineffabilis providentia*, in qua anno 1470. ut omnis ætas tanti Thesauri particeps redderetur, statuit ipse

Pau-

PAULUS II. ut impoſterum annus peragereturJubilæus quolibet vigeſimo quinto anno, & hoc tempus 25. annorum à PAULO II. determinatum, fuit ab omnibus ejus Succeſſoribus uſque ad præſens ſervatum.

ARTICULUS V.

Ritus indicendi Jubilæum.

Imminente Anno Sancto die Aſcenſionis Domini ante Annum Sanctum maximo apparatu in Baſilica S. Petri poſt Evangelium recitatur publice Diploma de proximi anni Jubilæo. Incipit Annus Sanctus a Primis Veſperis Nativitatis Domini, & durat usque ad Primas Veſperas ejusdem Nativitatis Domini anni ſequentis, cum hac tamen diverſitate, quod Veſperæ initio anni Jubilæi dicantur poſt aperitionem Portæ Sanctæ; at in fine ejusdem anni Jubilæi dicuntur antequam ipſa Porta Sancta claudatur; unde Jubilæus perſeverat, dum Porta Sancta ſiſtit aperta, & vocatur Sancta eo, quia, qui per eam, ut decet, ingrediuntur, Sanctitatem, ſeu gratiam Divinam conſequuntur, & dum ea clauditur, benedicuntur lapides, calx, & alia id genus.

Por-

Porta autem Sancta aperitur, ut sequitur. In Vigilia Nativitatis Domini instituitur mane Supplicatio Celeberrima, cui interest Papa cum Cardinalibus, Principum Legatis, Prælatis &c. Post meridiem Summus Pontifex è Sacello Palatii se confert ad Ecclesiam S. Petri clausam, ejusque Portam Muratam, quæ dicitur Porta Sancta, ter ipse maleo argenteo percutit, Summus Pœnitentiarius bis, post hæc à fabris murariis dejicitur murus foribus Ecclesiæ S. Petri oppansus, cujus omnes lapides, ac cœmentum magna cum devotione accipiunt populus Romanus, & Peregrini. Deinde Pontifex ingreditur Templum, & interest Vesperis Solemnibus: interim cum magno comitatu Cardinalis Decanus pergit ad aperiendam Portam Sanctam Basilicæ S. Pauli: & Cardinales Archipresbyteri ad aperiendas Portas Sanctas quisque suæ respective Basilicæ Lateranensis, & S. Mariæ Majoris.

Postquam autem per totum annum dictæ Saræ Basilicæ visitatæ fuerunt, paulo ante Nativitatem Domini promulgatur, Portam Sanctam Divi Petri claudendam esse in Vigilia Nativitatis ejusdem Domini post Vesperas, quas præcedit non minus Solemnis à Palatio Apostolico Supplicatio, quam, dum aperienda erat. Unde

de cum primum ipse Summus Pontifex, & postmodum supremus Pœnitentiarius in medium liminis ingressum ipsius Portæ Sanctæ jacit calcem trulla, seu cochleari argenteo, ternosque lapides ponit, tunc mox in altum, latumque murus erigitur, manetque integer, donec redeat alius Annus Sanctus. Et dum Porta Sancta Basilicæ S. Petri ab ipso Summo Pontifice, & aliæ Portæ Sanctæ aliarum Basilicarum à suis respective Cardinalibus aperiuntur, & clauduntur, recitantur variæ, & determinatæ preces, quas refert Navarrus in fine sui Commentarii.

ARTICULUS VI.

Specificatio Ecclesiarum, quæ tempore Jubilæi visitari debent.

Bonifacius VIII. determinavit visitandas esse Basilicas Apostolorum Petri, & Pauli. Clemens VI. addidit Basilicam Lateranensem. Gregorius XI. adjunxit Basilicam S. Mariæ Majoris de Urbe, prout usque ad præsens servatur, & exprimuntur semper Basilicæ visitandæ in Constitutionibus, quæ publicantur per Summos Pontifices in indictione Magni Jubilæi. Interdum tamen justis de causis fuerunt

runt subrogatæ aliæ Ecclesiæ prædictis Basilicis, ut contigit sub URBANO VIII. à quo fuit deputata visitanda Ecclesia S. Mariæ trans Tiberim loco Basilicæ S. Pauli extra mœnia ratione pestis, quæ tunc temporis grassabatur in Urbe, & Regno Neapolitano, & Siciliæ.

Ejusmodi Basilicæ debent visitari per triginta vices à Romanis, & Incolis Urbis: & per quindecim vices ab Exteris in gratiam laborum, & difficultatem itineris. Quandoque tamen ad minores vices fuerunt redactæ dignis de causis à variis Summis Pontificibus, & data etiam facultas Pœnitentiariis Basilicarum tales visitationes diminuendi, ut observat Archiepiscopus Tarsensis Franciscus Maria Phebæus in suo libro de progressu celebritatis Anni Jubilæi p. 240.

Petes. Quæ Jubilæa fuerint post PAULUM II. in Ecclesia indicta?

R. Sequentia: SIXTUS IV. indixit pro A. C. 1475, ALEXANDER VI. pro A. C. 1500. CLEMENS VII. pro A. C. 1525. JULIUS III. pro A. C. 1550. GREGORIUS XIII. pro A. C. 1575. CLEMENS VIII. pro A. C. 1600. URBANUS VIII. pro A. C. 1625. INNOCENTIUS X. pro A. C. 1650. CLEMENS X. pro A. C. 1675. INNOCENTIUS XII. pro A. C. 1700. qui tamen

men non potuit ipsum claudere, quia obivit die 28. Septembris ejusdem anni 1700. sed ipsum clausit CLEMENS XI. qui fuit electus Pontifex Maximus die 23. Novembris ejusdem anni 1700. BENEDICTUS XIII. pro A. C. 1725. & BENEDICTUS XIV. pro A. C. 1750.

QUÆSTIO XV.

Quæ Indulgentiæ sint concessæ pro Festo Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ, & ejusdem Octavis in Ecclesiis Ordinis Sancti Francisci Seraphici?

℟. Ex Concessione SIXTI IV. Const. *Cum præexcelsa* A. C. 1476. præmemoratæ Festivitati Immaculatæ Virginis MARIÆ, ejusque Octavis eas ipsas Indulgentias in nostris Ecclesiis esse attributas, quæ pro Festo Corporis Christi per Romanos Pontifices concessæ sunt. Ita Rubricæ Particulares nostri Breviarii Franciscani num. 51. propono Bullam.

* * *
* *
*

SIX-

SIXTUS PP. IV.

Ad futuram rei memoriam.

„ Cum præexcelsa meritorum in-
„ signia, quibus Regina Cœ-
„ lorum Virgo Dei Genitrix Glo-
„ riosa Sedibus prælata Sidereis,
„ quasi stella matutina prærutilans
„ devotæ considerationis indagine
„ perscrutamur, & infra pectoris
„ arcana revolvimus, quod ipsa,
„ utpote misericordiæ via, Mater
„ gratiæ, & pietatis amica, huma-
„ ni generis consolatrix, pro salute
„ Fidelium, qui delictorum onere
„ prægravantur, sedula oratrix, &
„ pervigil ad Regem, quem genuit,
„ intercedit, dignum, quin potius
„ debitum reputamus, universos
„ Christi Fideles, ut Omnipotenti
„ Deo, pro cujus providentia ejus-
„ dem Virginis humilitatem respi-
„ ciens pro reconcilianda suo Au-

„ tho-

„ thori humana natura, lapſu pri-
„ mi hominis æternæ morti obno-
„ xia, jam ſui Unigeniti habitacu-
„ lum S. Spiritus præparatione con-
„ ſtituit, ex quo carnem noſtræ
„ mortalitatis pro redemptione ſui
„ populi aſſumeret, & Immaculata
„ Virgo poſt partum nihilominus
„ remaneret, de ipſius Immacula-
„ tæ Virginis mira Conceptione gra-
„ tias, & laudes referant, & inſti-
„ tuta propterea in Dei Eccleſia
„ Miſſas, & alia Officia Divina di-
„ cant, & illis interſint, Indulgen-
„ tiis, & peccatorum remiſſionibus
„ invitare, ut exinde fiant ejus D.
„ Virginis meritis, & interceſſione
„ Divinæ gratiæ aptiores. Hac igi-
„ tur conſideratione inducti de Om-
„ nipotentis Dei, & BB. Apoſtolo-
„ rum ejus Petri, & Pauli confiſi au-
„ thoritate Apoſtolica, hac in per-
„ petuum valitura Conſtitutione
„ ſtatuimus, & ordinamus, quod

„ omnes, & singuli Christi Fideles
„ utriusque sexus, qui Missam, &
„ Officium Conceptionis ejus V. M.
„ juxta piam, devotam, & lauda-
„ bilem ordinationem dilectissimi
„ filii Magistri Leonardi de Noga-
„ rolis Clerici Veronensis
„ Notarii nostri, & quæ desuper
„ à Nobis emanavit, Missæ, & Of-
„ ficii hujus institutionem in die Fe-
„ stivitatis Conceptionis ejusdem
„ V. M. & per Octavas ejus devo-
„ te celebraverint, & dixerint, aut
„ illis Horis Canonicis intererint,
„ quoties id fecerint, eandem pror-
„ sus Indulgentiam, & peccatorum
„ remissionem exinde consequantur,
„ quam juxta fel. record. URBANI
„ IV. in Concilio Viennensi appro-
„ batas, ac MARTINI V. & alio-
„ rum Romanorum Pontificum Præ-
„ decessorum nostrorum Constitu-
„ tiones consequuntur illi, qui Mis-
„ sam, Officium, & Horas Cano-

„ ni-

„ nicas in Festo Corporis, & San-
„ guinis Domini N. J. C. à Primis
„ Vesperis, & per illius Octavas
„ juxta R. Ecclesiæ institutionem
„ celebrant, dicunt, aut Missæ,
„ Officio, & Horis Canonicis hu-
„ jusmodi interfunt. Præsentibus
„ perpetuis temporibus valituris.

„ Datum Romæ apud S. Pe-
„ trum A.C. 1476. 3. Kalend. Martii.

QUÆSTIO XVI.

Quales Indulgentiæ attributæ sint Celebritati Gloriosissimi Nominis Jesu in nostris Ecclesiis?

℟. Ad preces Franciscanæ Familiæ CLEMENTEM VII. per Litteras Apostolicas sub titulo, & forma Brevis datas die 25. Feb. A. C. 1530. instituisse Solemnitatem Augustissimi Nominis JESU celebrandam tum per Fratres, tum per Moniales quotannis die 14. Januarii cum recitatione Officii à Bernardino de Bustis celeberrimo Seraphicæ Religionis Concionatore compositi, concessis illis amplissimis Indulgen-

tiis, quas Romani Pontifices largiti sunt iis, qui præsentes adessent recitationi, & concentui Officii Corporis Christi. Do hujus Clementinæ Concessionis Instrumentum.

CLEMENS PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ SAlvatoris Domini nostri Jesu
„ Christi, Dei Patris Uni-
„ geniti, qui de summis Cœlorum
„ ad infima pro generis humani re-
„ demptione descendere, & huma-
„ nam carnem assumere non abnuit,
„ vices, licet immeriti gerentes in
„ terris ejus, Sanctissimum Nomen,
„ in quo omne genu Cœlestium,
„ Terrestrium, & Infernorum fle-
„ ctitur, & preces nostras effundi,
„ ac nos salvos fieri oportet, & per
„ quod sæculum est conversum, ac
„ Apostolici, aliique Sancti mira-
„ culis claruerunt, celebriter vene-
„ rari

„ rari cupientes, Sacræ Religioni
„ deditos, qui ſingulis mundi vani-
„ tatibus ſpretis, ad ipſi Chriſto de-
„ ſerviendum ſe dicarunt, & alios
„ Chriſti Fideles ad id quibusdam
„ allectivis muneribus, Indulgen-
„ tiis videlicet, & remiſſionibus in-
„ vitamus, ut inde reddantur Di-
„ vinæ gratiæ aptiores.

„ Sane, ſicut exhibita nobis nu-
„ per pro parte Dilecti Filii Bona-
„ venturæ Dubien Ordinis Fratrum
„ Minorum Profeſſoris, petitio con-
„ tinebat, quod licet felicis recorda-
„ tionis SIXTUS Papa IV. Prædeceſ-
„ ſor noſter Officium de ipſo Sacra-
„ tiſſimo Nomine JESU per quemdam
„ Bernardinum de Buſtis Fratrem di-
„ cti Ordinis, dum in humanis age-
„ ret, compoſitum, auctoritate Apo-
„ ſtolica confirmaverit, & appro-
„ baverit, tamen illud, aut aliquod
„ Feſtum de Ipſo Benedicto Nomi-

„ ne in Ecclesia militante non ce-
„ lebratur.

„ Quare pro parte ipsius Bona-
„ venturæ de Generalis sui Ordi-
„ nis licentia, nobis fuit humiliter
„ supplicatum, quod Ipsum Offi-
„ cium in toto Ordine Fratrum Mi-
„ norum, & Sororum sanctæ Claræ
„ celebrari possit, & debeat, de-
„ cernere de benignitate Apostolica
„ dignaremur.

„ Nos igitur ipsius Sanctissimi
„ Nominis venerationem, prout
„ par est, sinceris desideriis affectan-
„ tes, hujusmodi supplicationibus
„ inclinati, quod de cætero in to-
„ to Ordine Fratrum Minorum, &
„ Sororum sanctæ Claræ hujusmodi
„ singulis annis die quarta decima
„ Mensis Januarii Festum, & Offi-
„ cium prædictum duplex majus,
„ & solemne de ipso Sacratissimo

„ No-

„ Nomine celebrari debeat, aucto-
„ ritate Apoſtolica, tenore præſen-
„ tium, perpetuo ſtatuimus, & or-
„ dinamus. Et ut Chriſti Fideles
„ eo libentius ad dicti Officii cele-
„ brationem accedant, quo ex hoc
„ ſe majora dona ſpiritualia adipi-
„ ſci poſſe cognoverint, de ipſius
„ Domini Noſtri Jesu Chriſti, ac
„ Beatorum Petri, & Pauli Apoſto-
„ lorum ejus auctoritate confiſi,
„ tam Officium ipſum celebrantes,
„ quam, qui ipſius recitationi, &
„ decantationi interfuerint, ac quin-
„ quies Orationem Dominicam, &
„ toties Salutationem Angelicam
„ pro felici ſtatu Romani Pontifi-
„ cis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ adverſus Mahometicam, & Lu-
„ theranam perfidiam, ac Univer-
„ ſali Principum, & aliorum Fide-
„ lium pace devote recitaverint,
„ ſimiles Indulgentias, & peccato-
„ rum remiſſiones, quæ præfatis

„ Christi Fidelibus in Officio Cor-
„ poris Christi, & per illius Octa-
„ vas in Ecclesiis, in quibus cele-
„ bratur, interessentibus concessæ
„ sunt, concedimus, & elargimur.
„ Non obstantibus Constitutioni-
„ bus, & ordinationibus Apostoli-
„ cis, cæterisque contrariis quibus-
„ cunque : præsentibus perpetuis
„ futuris temporibus duraturis.

„ Et quia difficile foret præsen-
„ tes ad singula loca dicti Ordinis
„ deferre, volumus, & eadem au-
„ ctoritate Apostolica decernimus,
„ quod præsentium transumptis, ma-
„ nu alicujus Notarii Publici sub-
„ scriptis, & Sigillo alicujus Perso-
„ næ in Dignitate Ecclesiastica con-
„ stitutæ munitis, eadem fides pror-
„ sus ubique adhibeatur, quæ eis-
„ dem præsentibus adhiberetur, ubi
„ forent exhibitæ, vel ostensæ. Da-
„ tum Bononiæ sub Annulo Pisca-

„ to-

„ toris die 25. Februarii anno 1530.
„ Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Petes. Quæ ſunt ergo Indulgentiæ Feſti Sacratiſſimi Corporis Chriſti, ejuſque Octavarum?

℟. Omnes Fideles aſſiſtentes Divinis Officiis in noſtris, & aliis Eccleſiis in Feſto, & per Octavas Corporis Chriſti lucrantur ſequentes Indulgentias, ſcilicet pro Miſſa 400. dies: pro Matutino 400. dies: pro Primis, & Secundis Veſperis 400. dies, pro qualibet Hora Parva 160. dies. Et in quibuslibet infra Octavas diebus, pro ſingulis Matutinis, Miſſis, Veſperis 200. dies, ac pro reliquis Horis 80. dies. Item iis, qui interſunt Proceſſionibus, conceduntur dies 200. Indulgentiæ. Sic ex conceſſione URBANI IV. MARTINI V. EUGENII IV. Caſarubios in compend. Privileg. verb. *Indulgentiæ* quoad Sæculares §. 7. n. 2. Et videri poteſt quoad hoc Conſtit. EUGENII IV. incip. *Excellentiſſimum* edita A. C. 1433. Conſtit. MARTINI V. incip. *Ineffabile Sacramentum* edita A. C. 1429. Conſtit. URBANI IV. incip. *Tranſiturus* edita A. C. 1262.

QUÆSTIO XVII.

Quid de Indulgentia Bullæ Sabbatinæ sentiendum?

℟. Ineunte sæculo decimo tertio mortuus est spectatæ Sanctimoniæ Vir Simon Stockius Ordinis Carmelitarum Generalis, cui multo ante ejus obitum tempore Beata Virgo apparuit, deditque tamquam Carmelitani Ordinis tesseram Scapulare, in præcipuæ protectionis suæ peculiare signum; deinde quinquaginta post annis Beata Virgo itidem JOANNI XXII. Summo Pontifici apparuit, eumque monuit de pluribus Indulgentiis, quas à JESU Christo Filio suo Fratribus, & Sororibus Carmelitani Ordinis impetrasset; quas Indulgentias deinde A. C. 1322. die 3. Martii idem Pontifex promulgavit. Atque illud est, quod dicitur Sabbatinum Privilegium ob eam causam, quod Beata Virgo pollicita sit, se, quotquot Carmelitano Mariæ cultui addicti fuerint, primo post eorum obitum Sabbato à Purgatorii igne erepturam. Ejusmodi Privilegium dicitur postea confirmatum à Summis Pontificibus CLEMENTE VII. PIO V. & GREGORIO XIII. Ea autem JOANNIS XXII. Constitutio, etsi non extet in Bullario Romano, in pluribus tamen libris typis impressis edita est, & nuper-

perrime in Bullario Carmelitarum per P. Eliſæum Monſignanum Ordinis Generalem Procuratorem collecto p. 1. pag. 61. & ſeq.

Verum præmemorata Conſtitutio JOANNIS XXII. non probatur Proſpero de Lambertinis de Feſtis Mariæ Virginis c. 6. n. 9. pag. 478. eo, quod nunquam ejus repertum ſit *Autographum*, & nunquam *in forma ſpecifica*, nec niſi, ut vulgo dicitur *in forma communi* à Romanis Pontificibus ea Bulla approbata ſit.

Quidquid ſit de Bullæ veritate, ſatis erit pro conſolatione ſcire ſubortas aliquando in Luſitania de ea contentiones, & inde ad totum Chriſtianum Orbem diffuſas, ſapientiſſimo PAULI V. Decreto fuiſſe diremptas. Decretum autem hoc habetur in Bullario Carmelitano tom. 1. pag. 62. & tom. 2. pag. 601.

„ Patribus Carmelitanis permit-
„ tatur prædicare, quod populus
„ Chriſtianus poſſit pie credere de
„ adjutorio animarum Fratrum, &
„ Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum geſtaverint, & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint, Officiumque Par-

„ vum

„ vum recitaverint, vel si id recitare nesciverint, Ecclesiæ jejunia „ observaverint, & feria quarta, & „ Sabbato à carnibus abstinuerint, „ nisi ubi in iis diebus Nativitatis „ Domini Festum inciderit, suis intercessionibus continuis, suisque „ suffragiis, & meritis, & speciali „ protectione post eorum transitum, „ præcipue in die Sabbati (qui dies „ ab Ecclesia eidem Beatæ Virgini „ dicatus est) adjuturam.

Congruunt cum hoc Decreto ea, quæ habentur in Breviario Romano in Lect. secundi Nocturni: „ Non in hoc tantum Sæculo Ordinem sibi tam acceptum multis prærogativis Beatissima Virgo insignivit, verum „ & in alio (cum ubique & potentia, & misericordia plurimum „ valeat) Filios in Scapularis Societatem relatos, qui abstinentiam „ modicam, precesque paucas eis „ præscriptas frequentarunt, ac pro

„ sui

„ sui ſtatus ratione caſtitatem colue-
„ runt, materno plane affectu, dum
„ igne Purgatorii expiantur, ſolari, ac
„ in Cœleſtem Patriam obtentu ſuo
„ quantocyus pie creditur efferre.

ADDITIO

Ampliſſimi Privilegii conceſſi A. C. 1761. die 3. Octobris à Reverendiſſimo P. Joachimo Maria Pontalti Totius Sacri Carmelitani Ordinis Generali, quoad Confraternitatem Scapulariſticam PP. Guardianis Labacenſibus.

NOS FR. JOACHIM MARIA PONTALTI, *Sacræ Theologiæ Magiſter, & Doctor, humilis Prior Generalis, nec non Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus totius Ordinis Fratrum Beatiſſimæ, ſemperque Virginis DEI Genitricis MARIÆ de Monte Carmelo Antiquæ Obſervantiæ Regularis.*

„ Dilecto Nobis in Chriſto Patri
„ Adm. Rev. Guardiano pro tem-
„ pore

„ pore existenti Conventus Laba-
„ censis in Carniolia Ordinis Sera-
„ phici S. Francisci Strictioris Ob-
„ servantiæ Salutem in Domino

„ Id à Nobis exposcit Christiana
„ Charitas, ut bona, quæ Nobis
„ Divina largitate contigerunt, &
„ spiritualia maxime, quæ data
„ danti non pereunt, in proximos
„ communicemus. Idcircò cum à
„ Sede Apostolica sit Nobis indulta
„ facultas communicandi Fidelibus
„ Indulgentias, & gratias spiritua-
„ les Confraternitatis Nostri Scapu-
„ laris ab ea concessas, nedum Tibi,
„ sed & cuicunque, vel quibuscun-
„ que e Tuis subditis Religiosis
„ Sacerdotibus sive in Conventu
„ morantibus, sive ex obedientia
„ quocunque titulo extra Conven-
„ tum iter agentibus, à Te tamen
„ designando, vel designandis, fa-
„ cultatem facimus (dumodo non

„ sit

„ ſit præſens Sacerdos aliquis Or-
„ dinis Noſtri, vel in Loco repe-
„ periatur Conventus Noſtræ Re-
„ ligionis) benedicendi Scapulare,
„ ſeu Habitum S. Noſtri Ordinis,
„ ipſumque imponendi omnibus
„ utriusque Sexus Chriſti Fidelibus
„ eundem Sacrum Habitum quo-
„ cumque tempore, & loco à Te,
„ vel Tuis Religioſis, etiam in
„ mortis illorum articulo expoſcen-
„ tibus, cum omnibus Indulgentiis,
„ & gratiis ſpiritualibus, quibus
„ Confratres Noſtræ Sodalitatis Sca-
„ pularis gaudent, & potiuntur;
„ dumodo ab ipſo Sacerdote ſuſci-
„ piente, vel à quacumque alia etiam
„ ſæculari Perſona in Libro dictæ
„ Sodalitatis in Eccleſia prædicti
„ Conventus canonice erectæ impo-
„ ſterum deſcribantur; declarantes
„ interim ut legitime adſcriptos, & er-
„ ceptos omnes, & quoscumque tam
„ vivos, quam defunctos, qui præ-

„ teri-

„ teritis temporibus à non habente
„ facultatem ejusmodi forsan recepti
„ fuerunt, & etiamsi in præfatæ So-
„ dalitatis Libro minime descripti
„ fuissent; quos item nunc pro tunc
„ volumus fieri participes omnium
„ bonorum spiritualium, quæ die,
„ noctuque fiunt à Religiosis Totius
„ Nostri Ordinis, ac plenariæ ab-
„ solutionis in eorum mortis arti-
„ culo: Ad quam participationem
„ recipiendi Fideles, qui Habitum
„ benedictum erunt recepturi, eisque
„ Sacrum Scapulare devote gestan-
„ tibus plenariam absolutionem in
„ mortis articulo conferendi, Tibi
„ & cuicumque, vel quibuscunque,
„ ut supra, à Te designando, vel
„ designandis, concedimus auctori-
„ tatem. Præsentibus ad Nostrum,
„ & Successorum beneplacitum va-
„ lituris. In quorum fidem &c.

„ Da-

„ Datum in Conventu Noſtro SS.
„ Silveſtri, & Martini in Montibus
„ de Urbe die 3. Octobris 1761.

FR. JOACHIM MARIA PONTALTI
Prior Generalis Carmelit.

FR. JOAN. BAPT. COMANDINI
Pro-Secretarius Reverendiſſ. Patris.

QUÆSTIO XVIII.

Quid de Indulgentia Portiunculæ tenendum?

℟. Tenendum I. veritatem Indulgentiæ Plenariæ, quam Chriſtus B. Franciſco conceſſit, & HONORIUS III. confirmavit pro Eccleſia Portiunculæ, probari ex Epiſtola cujusdam Doctoris Theologiæ de Indulgentia Portiunculæ, quæ idiomate Gallico ſcripta A. C. 1701. Menſe Majo inſerta eſt Actis Trevoltienſibus. Ea vero Epiſtola (quam adfert Clariſſimus Euſebius Amort) ſic habet - - -

„ Petis à me Amicorum optime, quid sentiam de Indulgentia „ Portiunculæ, adversus quam in „ ea, quam incolis Urbe, vehementer commoventur multi, connabor morem gerere petitioni tuæ. „ Constat ergo, eos, qui tuentur „ Indulgentiæ veritatem, plurimum „ se fundare in testimonio Bartholomæi Pisani, qui scripsit ad finem „ sæculi decimi quarti. Huic testimonio opponitur silentium S. „ Bonaventuræ, quod hic Sanctus „ Scriptor in vita S. Francisci de „ ea Indulgentia altum tenuit silentium, ajunt magno illi Cardinali „ nullatenus ignoscendum, si rei, „ ut eam Bartholomæus Pisanus recenset, subesset veritas. At vero „ destruat, si ita volunt, silentium „ S. Bonaventuræ Historiam à Bartholomæo Pisano recensitam, „ quamvis nec ipse eam nisi ex „ fide Antiquioris Authoris deducat;

„ cat ; cum certo conſtet, S. Bir-
„ gittam ejusdem habuiſſe notitiam,
„ illud contendo, non propterea
„ ex S. Bonaventuræ ſilentio ipſam
„ deſtrui Indulgentiam, eam vero
„ S. Franciſco coævam, ac coæta-
„ neam eſſe oſtendo.

„ Species facti ita ſe habet. Do-
„ nata fuerat S Franciſco vetus
„ quæpiam Capella, Noſtræ Domi-
„ minæ de Angelis dicta. Eam Ca-
„ pellam, cum tota ferme interci-
„ deret, Sanctus Vir reædificari,
„ ac conſequenter de novo conſe-
„ crari fecit. Ita enim tunc fere-
„ bat mos Eccleſiæ, ut reædificatæ
„ Eccleſiæ de novo conſecrarentur,
„ eo, quod pollutæ eſſe crederen-
„ tur. Ea conſuetudo S. Franciſco
„ longe antiquior, adeo univerſa-
„ liter recepta erat, ut expreſſo te-
„ ſtimonio S. Bonaventuræ opus
„ foret, ſi quis nos perſuadere

„ vellet, S. Franciscum eam Ec- „
„ clesiæ consuetudinem neglexisse. „

„ Alia consuetudo æque gene- „
„ ralis, ac prior erat, ut in Dedi- „
„ catione Ecclesiarum concederen- „
„ tur Indulgentiæ, eaque consue- „
„ tudo adeo nota est inter Scripto- „
„ res Ecclesiasticos, ut, si quando „
„ loquuntur de Ecclesiarum Dedi- „
„ cationibus, concessionem eam „
„ Indulgentiarum universim suppo- „
„ nant, quin de iisdem injiciendi
„ mentionem necessarium ducant.
„ S. Bonaventura de duabus hisce „
„ circumstantiis nullibi meminit, „
„ num propterea veræ non sunt? „
„ aut silentium S. Doctoris hac in re
„ majus robur habebit, quam ha-
„ beat silentium Aliorum Scripto- „
„ rum de moribus passim receptis? „
„ „

„ Vide ergo, quodnam meum „
„ est ratiocinium. Optimi Scripto- „

„ res,

„ res plerumque in ſuis Hiſtoriis
„ omittunt circumſtantias commu-
„ nes, quæ ſuamet natura facile à
„ quovis ſubintelliguntur, ut uni-
„ ce inhæreant iis circumſtantiis,
„ quæ materiam ſibi propoſitam ab
„ aliis diſtinguunt: ſilentium proin
„ S. Bonaventuræ non enervat ar-
„ gumentum, quod duco à conſue-
„ tudine generali, ac communi Ec-
„ cleſiæ ad probandam Indulgentiæ
„ de Portiuncula veritatem.

„ Addo primo huic argumento
„ teſtimonia plurium Synchronorum
„ Teſtium, qui eam Indulgentiam
„ revera conceſſam eſſe atteſtantur.

Primum Teſtimonium docet,
„ Fratrem Maſſæum de Marignano
„ fuiſſe cum S. Franciſco Peruſii,
„ quando HONORIUS Pontifex eam
„ Indulgentiam conceſſit: *quod ipſe*
„ *fuerit cum B. Franciſco apud Peruſium*

„ *ante præsentiam sanctæ memoriæ Do-*
„ *mini Papæ* HONORII, *cum petivit*
„ *Indulgentiam omnium peccatorum pro*
„ *illis, qui contriti, & confessi conve-*
„ *nirent ad locum S. Mariæ de Ange-*
„ *lis, quæ alio nomine Portiuncula no-*
„ *minatur, prima die Kalendarum Au-*
„ *gusti à Vesperis primæ diei usque*
„ *ad Vesperas sequentis diei.* Quod
„ vero in ista Indulgentia singulare
„ erat, concessit eam Summus Pon-
„ tifex *gratis* præter consuetudinem
„ illorum temporum, quibus pro
„ Indulgentiis exigebatur pecunia
„ pro bello adversus Infideles im-
„ pendenda: *Quæ Indulgentia cum*
„ *fuisset tam humiliter, quam constan-*
„ *ter à B. Francisco postulata, fuit tan-*
„ *dem à Summo Pontifice liberalissime,*
„ *& gratiosissime concessa, quamvis*
„ *diceret ipse Summus Pontifex, non*
„ *esse consuetudinis Apostolicæ Sedis ta-*
„ *lem Indulgentiam facere.* Eratne
„ operæ pretium, ut S. Bonaven-

„ tura

„ tura ſe in hac circumſtantia deti-
„ neret? an non potuit eam omni-
„ no ignorare?

„ Secundus Teſtis eſt Petrus Sal-
„ phanus pariter Synchronus S.
„ Franciſco. Is dixit: ſe fuiſſe præ-
„ ſentem, quando ea Indulgentia
„ à S. Franciſco in Capella Portiun-
„ culæ promulgata eſt, namque &
„ illius verba allegat: Petrus Sal-
„ phanus dixit, quod interfuerit
„ conſtructioni Eccleſiæ S. Mariæ
„ de Portiuncula, & audiverit tunc
„ B. Franciſcum plura prædicantem
„ coram Venerabilibus Epiſcopis,
„ & habebat quamdam ſchedulam
„ in manu, & dixit: *Ego volo vos*
„ *omnes mittere ad Paradiſum, & an-*
„ *nuncio vobis Indulgentiam, quam ha-*
„ *beo ab ore Summi Pontificis, omnes*
„ *vos, qui veniſtis hodie, & omnes,*
„ *qui venient annuatim tali die bene*
„ *contriti, habebunt Indulgentiam om-*

„ *nium suorum peccatorum. Ego voluí*
„ *pro octo diebus, sed non potui.* Hæc
„ duo Testimonia non solum recen-
„ sita sunt à Waddingo, qui ea
„ desumpsit ex Authenticis Docu-
„ mentis sui Ordinis in Annalibus
„ Minorum ad annum 1277. n. 19. Sed
„ eadem postmodum impressa sunt
„ à Baluzio Tom. 4. Miscellan. pag.
„ 490. qui ea accepit ex Manu-
„ scripto Bibliothecæ Colbertinæ.
„ Nec dici potest, intervenire collu-
„ sionem, aut suppositionem ex eo,
„ quod textus duorum horum Au-
„ thorum Waddingi, & Baluzii
„ mutuo sese sustentent; Waddingus
„ enim ignoverat Manuscriptum il-
„ lud latere Parisiis, & Baluzius
„ nunquam viderat Manuscriptum
„ Waddingi, & diversitas textuum
„ ostendit, duo ista Exemplaria
„ non esse ab eadem, sed à duabus
„ manibus profecta.

„ Quod

„ Quod Teſtes attinet, dubita-
„ rine poterit, fuerint S. Franciſco
„ Synchroni? Maſſæus de Mari-
„ gnano erat ejus Diſcipulus, & Be-
„ nedictus de Arezzo, qui refert
„ primi Teſtimonium, ipſemet ac-
„ ceperat habitum è manu hujus
„ S. Patriarchæ: *Ego*, inquit, *Frater*
„ *Benedictus de Arezzo, qui olim fui cum*
„ *B. Franciſco, cum adhuc viveret, &*
„ *Divina gratia operante ipſe Pater San-*
„ *ctiſſimus ad ſuum Ordinem me recepit,*
„ *quique Sociorum ſuorum Socius fui,*
„ *& cum Ipſis frequenter, & in vita*
„ *S. Patris Noſtri, & poſt ipſius re-*
„ *ceſſum ex hoc mundo ad Patrem, cum*
„ *eisdem Diſcretis Ordinis collationem*
„ *frequenter habui, confiteor me frequen-*
„ *ter audiviſſe à quodam Sociorum ſu-*
„ *pradictorum B. Franciſci*, qui voca-
„ batur Frater Maſſæus de Marigna-
„ no, *quod ipſe fuerit cum B. Fran-*
„ *ciſco apud Peruſium* &c.

„ Hoc non solum confirmatur
„ à solo Benedicto de Arezzo, sed
„ etiam à Rainero de Mariano So-
„ cio Benedicti. Rainerus asseve-
„ rat, se eandem rem frequenter à
„ Fratre Massæo Socio S. Francisci
„ audivisse. Decetne adhuc allegare
„ silentium S. Bonaventuræ ad de-
„ struendam veritatem tantis testi-
„ moniis suffultam?

„ Haud quidem scio, an non
„ & imposterum concutientur pluri-
„ ma acta ex eo solum, quod Scrip-
„ tores aliqui de iis siluerint; quis
„ enim impedire poterit quorumdam
„ invictam duritiem impugnandi acta
„ certissima hoc argumento negativo
„ nullatenus stringente, nisi quis
„ opportune illo usus fuerit: ob
„ quod neminem vehementer repu-
„ gnaturum arbitror, si dicatur: S.
„ Bonaventuram silentio suo dejice-
„ re Historiam Bartholomæi Pisani.

„ At

„ At vero, quod idem ſilentium „ deſtruat veritatem Indulgentiæ „ Portiunculæ, quæ de ſæculo ad „ ſæculum uſque ad nos tradita per- „ venit, prout, ſi petieris, oſtende- „ re potero, plane ſine temeritate „ impoſterum aſſeri non poterit, ſi „ vel parum iis, quæ à me addu- „ cta ſunt, quis intendere voluerit. „ Maneo &c.

Bartholomæus Piſanus ſcribit, quod S. Franciſcus hanc Indulgentiam impetraverit à Deo, qui illum pro confirmatione remiſit ad Summum Pontificem. Illud ipſum videtur innuere S. Bernardinus Senenſis Serm. 9. Dominica 1. in Quadrag. a. 3. c. 2. ubi ait: *Quartum eſt Indulgentia, ſicut ire ad Sepulchrum, ad S. Jacobum, ire Romam, ire ad S. Mariam de Portiuncula prope Aſſiſium, ubi B. Franciſcus impetravit à Deo, quod, quicumque prima die Auguſti contritus, & confeſſus intrabit Eccleſiam illam, plenam Indulgentiam conſequatur omnium peccatorum ſuorum.* Et hæc forte eſt circumſtantia Hiſtoriæ, quam Author Epiſtolæ permitteret ex ſilentio S. Bonaventuræ vocari in ſuſpicionem.

Benedictus XII. dicitur hanc Indulgentiam confirmasse, & declarasse, datam esse à Christo viva voce Casarub. Extravag. v. Indulgentia de visitantibus. Inter revelationes S. Birgittæ exstat aliqua c. 90. in qua Sancta illa Vidua visa sibi est audire Christum dicentem, se S. Francisco contulisse Indulgentiam de Portiuncula.

Lucas Waddingus Annal. Minor. ad annum 1223. sic ait: Pontifex Indulgentiam à B. Francisco postulatam concessit, seu potius confirmavit, scripsitque Episcopis Assisienſi, Perusino, Tudertino, Spoletano, Fulginati, Nucerino, Eugubino, ut ad Kal. Augusti ad prænominatam Ædem convenirent, & solemniter Indulgentiam hanc publicarent. Franciscus ergo hortatu Episcoporum Suggestum ascendit, præmissoque sermone seriem retulit, concludens per Summum Pontificem concessam esse plenam omnium peccatorum remissionem. Accedentes autem Episcopi indignati sunt dicentes: Frater Francisce, licet Dominus Papa nobis mandet satisfacere tuæ voluntati, quoad hoc tamen non est ejus intentio, ut te sequi debeamus in eo, quod congruum non est; ideo denuncietur Indulgentia tantum decem annorum, surrexitque Episcopus Assisienſis volens publicare Indulgentiam decem annorum: tamen

ali-

aliter eloqui non poterat, quam B. Franciſcus dixerat; quod alii ægre tulerunt, & ſurrexerunt unus poſt alterum, omnes conantes corrigere, quod præcedentes dixerant, tamen Deo diſponente non poterant aliud pronunciare, quam, quod à B. Franciſco dictum fuerat prius. Hujus rei Teſtes fuerunt ſupra nominati Epiſcopi cum multis Viris, nimirum Suppolinus Hugolini Presbyter, D. Andreas de Monte Mellino, Fratres Nepoleus de Armenſano &c. Ita hanc rem narrant Chronica Antiqua Ordinis, Bartholomæus Piſanus, Marianus Florentinus, Marcus Ullyſſiponenſis, Petrus Rodulphus, Frater Bartholus de Aſſiſio peculiari libello de hac re Trevii recuſo 1470.

Tenendum II. Hanc Cœleſtem Indulgentiam primitus pro ſola Portiunculæ Eccleſia conceſſam à primis Veſperis Kalendarum Auguſti, uſque ad Veſperas ſequentis diei, poſtea extenſam fuiſſe in perpetuum ad omnes Eccleſias Sacri Ordinis noſtri ubique exiſtentes pro ſecunda die Auguſti à Primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, dummodo talem Indulgentiam lucraturi peccata ſua confiterentur, & Sacra Communione reficerentur, & conſuetas preces peragerent, ut apparet ex Bulla

Gre-

Gregorii XV. incip. *Splendor paternæ gloriæ* edita die 4. Julii A. C. 1622.

Tenendum III. Ejusmodi Indulgentiam in omnibus Ecclesiis Seraphicæ Religionis nostræ pro secunda die Augusti posse applicari etiam pro Defunctis ex concessione Innocentii XI. Bulla incip. *Alias fel. recordat.* edita die 12. Januarii A. C. 1678.

Tenendum IV. Istam Indulgentiam pro die 2. Augusti via ordinaria non suspendi per Annum Sanctum in Ecclesia S. Mariæ Angelorum prope Assisium, ut declaravit Innocentius X. die 5. Julii A. C. 1650. Clemens X. die 12. Novembris A. C. 1664. Innocentius XII. die 21. Augusti A. C. 1699. Benedictus XIII. A. C. 1725. Dixi: *Via ordinaria;* nihil enim vetat, ne intervenientibus extraordinariis gravioribus causis à Christi in terris Vicario illimitatam in Ecclesia Dei potestatem habente suspendatur. Id, quod egit Benedict. XIV. A. C. 1743. & sequenti 1744. pariter A. C. 1750. quo Indulgentiam Portiunculæ pro vivis (non tamen pro mortuis) suspendit. In aliis vero Ecclesiis, & locis Ordinis suspenditur Indulgentia Portiunculæ Anno Sancto pro vivis, minime pro Defunctis; per Jubilæum enim Anni Sancti non suspenduntur Indulgentiæ pro constitutis in articulo mortis, & pro Defunctis, ut declaravit

vit GREGORIUS XIII. CLEM. VIII. URB. VIII. teſte Felice Poteſtate tom. 1. p. 4. n. 3796. & n. 3825.

Tenendum V. Iſtam Portiunculæ Indulgentiam pro 2. die Auguſti à Primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi poſſe obtineri, ſeu acquiri *Toties, Quoties* à Chriſti Fidelibus aliqua Eccleſia Ord. S. P. N. Franciſci viſitatur, & ibidem ad mentem Summi Pontificis orantur 6. *Pater*, & *Ave*, nempe ſemel pro ſeipſis, & aliis vicibus pro animabus Purgatorii: Id deſumitur tum ex communi praxi ubique etiam Romæ obſervata, nedum à ſimplicibus, ſed etiam à Viris doctis, & Primatibus, tum ex ſequenti reſponſione, & declaratione Sacræ Congregationis Concilii - -

„ Cum enim in vim Decreti ſub
„ INNOCENTIO XI. editi die 7.
„ Martii A. C. 1678. ubi diſponitur:
„ *Semel autem dumtaxat in die plena-*
„ *riam Indulgentiam in certos dies Ec-*
„ *cleſiam viſitantibus conceſſam, vel*
„ *aliud pium opus peragentibus lucrifie-*
„ *ri*, dubitaretur, an Indulgentiam
„ præfatam lucrarentur Fideles *To-*

„ *ties*

„ *ties, Quoties* Ecclesiam visitarent? „ pro declaratione dubii fuerunt „ preces Sacræ Cardinalium Con- „ gregationi exhibitæ in hac forma:

„ *Episcopus Labacensis à parte Im-* „ *perii Orator devotus E. E. V. V. hu-* „ *militer exponit, quod non obstante De-* „ *creto Innocentii XI. de Apocryphis In-* „ *dulgentiis sub die 7. Martii 1678.* „ *quo declaravit semel dumtaxat in die* „ *Plenariam Indulgentiam in certos dies* „ *Ecclesiam visitantibus concessam lucri-* „ *fieri, pergunt Fratres Ordinis S. Fran-* „ *ciſci Reformatorum de Provincia Car-* „ *niolię populo persuadere Indulgen-* „ *tiam pro die 2. Augusti de Portiun-* „ *cula nuncupatam eorum Ecclesiam vi-* „ *sitantibus concessam Toties, Quoties* „ *eadem die lucrifieri posse.*

„ *Cum autem hujusmodi abusus ad* „ *Summum Pontificem ab Ordinariis de-* „ *ferri jubeat S. Cong. Conc. Trid. Sess.*

„ *25.*

„ *25. de Reform. c. 21. in Decreto de*
„ *Indulgentiis.*

„ *Idcirco Orator quærit, & declarari petit, an præfata Indulgentia de*
„ *Portiuncula nuncupata etiam comprehendatur ſub Decreto, & Declaratione Jan. mem. Innocentii XI. ſupradicta? pro qua gratia &c.*

„ Die 17. Julii 1700. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E.
„ Cardinalium Concilii Tridentini
„ Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis, & Miniſtri
„ Provincialis cenſuit *ſervandum eſſe*
„ *ſolitum* (apud Impreſſorem Cameralem) & ſic ſæpius reſpondit eadem Sacra Congregatio Concilii,
„ & noviſſime in una Ordinis S.
„ Franciſci 4. Decembris 1723.
„ adeoque.

QUÆSTIO XIX.

Quas Indulgentias lucrentur obeuntes Viam Crucis?

R. Omnes Christi Fideles obeuntes Viam Crucis à nostris Fratribus erectam, sive in locis ad nos spectantibus, sive in aliis non subjectis, nec dependentibus ab Ordine nostro posse quotidie, modo sint in gratia, & obeundo Viam Crucis devote recolant Passionem, ac mortem Christi, lucrari easdem Indulgentias, quas Jerosolymis obeuntes Viam Crucis lucrantur, sic ultra concessionem, & declarationem factam ab INNOCENTIO XI. die 5. Septembris A. C. 1686. ab INNOCENTIO XII. decimo septimo Kalendas Januarii A. C. 1695. Const. incip. *Sua nobis* concesserunt, & declararunt BENEDICTUS XIII. quinto Nonas Martii A. C. 1731. Constit. incip. *Exponi nobis*, & BENEDICTUS XIV. die 16. Januarii A. C. 1741. Constit. incip. *Cum tanta sit.*

Bene autem notandum, prohibitum esse à Sac. Congregatione singulis Stationibus adscribere determinatas Indulgentias; nam inter monita ad recte regulandum devotissimum S. Viæ Crucis exercitium à CLEMENTE XII. præscripta, & à BENEDICTO XIV. renovata, nonum italice ita so-

sonat: *Che non si publichi dai pulpiti, ne in altra forma, e molto meno si scriva nelle Capellette, ò Stazioni un numero certo, e determinato delle Indulgenze, che si aquistano, poiche si è riconosciuto in più occasioni, che ò per inavertenza, & equivoco, ò per trasporto di devozione, si altera, ò si confonde la verità delle Indulgenze, e perciò basti il dire, che chiunque s' impiegherà a meditare la Passione del Signore in questo santo esercizio, aquisterà per concessione de Sommi Pontefici le stesse Indulgenze, che aquisterebbe, se visitasse personalmente la Stazione della Via Crucis di Gerusalemme.*

QUÆSTIO XX.

Quid circa Indulgentias Crucum, & Coronarum Jerosolymitanarum notandum?

℟. Notandum esse I. Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositæ sub INNOCENTIO Papa XIII.

„ Nuper Sacræ Congregationi
„ Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis
„ præpositæ relatum fuit, passim
„ evulgari Summarium quoddam In-

„ dulgentiarum germanico idio-
„ mate conscriptum, quod latine
„ versum incipit: *Indulgentiæ, quæ*
„ *concessæ fuerunt à san. mem. Pa-*
„ *pa Sixto V. Paulo V. Urbano VIII.*
„ *Innocentio X. Alexandro VII. Clem.*
„ IX. *super Coronis, Crucibus factis*
„ *Jerosolymis, & Bethleem, denuo*
„ *confirmatæ à Summis Pontificibus Cle-*
„ *mente X. & Innocentio X. die 11.*
„ *Junii anni 1670. impressum Augu-*
„ *stæ à Joanne Michaële Labhart an-*
„ *no 1720.*

„ Cum autem in dicto Summa-
„ rio nonnullas Indulgentias falsas,
„ aut apocryphas, aut ab Apostо-
„ lica Sede revocatas contineri de-
„ prehensum fuerit; ideo, ne Fide-
„ les decipiantur, eadem Sacra Con-
„ gregatio habita die 11. Martii
„ 1721. prædicti Summarii Augu-
„ stæ impressi, vel denuo ubique
„ imprimendi usum interdixit, il-

„ lud

„ ludque prohibuit ſub pœnis in indi-
„ ce librorum prohibitorum conten-
„ tis, declarando, geſtantes Cruces,
„ & Coronas, quæ loca Terræ San-
„ ctæ, & Sacras Reliquias ibi exi-
„ ſtentes tetigere, illas dumtaxat In-
„ dulgentias lucrari poſſe, quas ſan.
„ mem. Iñocentius XI. litteris in for-
„ ma Brevis emanatis die 28. Janua-
„ rii anni 1688. prædicta geſtanti-
„ bus, & pia opera in eodem Bre-
„ vi præſcripta devote peragenti-
„ bus conceſſit. Inſuper cum ei-
„ dem Sacræ Congregationi pariter
„ delatum fuerit, nonnullos turpis
„ lucri cupidos non ſine magno Fi-
„ delium ſcandalo, prædictas Cru-
„ ces, & Coronas publice ven-
„ dere, aut mercibus commutare
„ auſu temerario non erubeſcere :
„ ideo ſtricte prohibuit, ne impoſte-
„ rum aut publice, aut ſecreto ven-
„ dantur, aut quomodocunque com-
„ mutentur; addita etiam declara-

„ tione, quod non transeant Perso-
„ nam illorum, quibus prima vice
„ distribuuntur, & quod neque
„ commodari, aut precario dari
„ possint, & quod aliqua re ex præ-
„ dictis deperdita pro ea subrogari
„ altera non valeat, quod, si secus
„ fiat, prædictæ Cruces, & Coronæ
„ careant Indulgentiis jam conces-
„ sis . . . . Quibus omnibus per me
„ Secretarium Sanctissimo Domino
„ nostro INNOCENTIO XIII. rela-
„ tis die quarta mensis Junii, San-
„ ctitas Sua sententiam Sacræ Con-
„ gregationis approbavit, & in omni-
„ bus executioni mandari jussit.

„ Datum Romæ die quinta ejus-
„ dem mensis anni 1721.

L. CARD. PICUS PRÆFECTUS.

Notandum II. INNOCENTIUM XI. per Breve incip. *Unigeniti Dei Filii* die 28. Januarii A. C. 1688. ad instantiam P. Ma-

Marini Sormani Miniſtri Generalis Totius Ordinis Seraphici Minorum S. P. Franciſci conceſſiſſe Crucibus, & Coronis, quæ tetigerunt loca Terræ Sanctæ, & Sacras Reliquias ibi exiſtentes Indulgentias ſequentes, omnibus aliis revocatis, & annullatis, quæ per alios Romanos Pontifices conceſſæ dicuntur.

„ I. Habens Sacram aliquam „ Crucem, vel Coronam Jeroſoly- „ mitanam, ſi conſuevit dicere ſe- „ mel ad minus in ſeptimana Coro- „ nam Domini, aut Dominæ, aut „ Roſarium, vel tertiam ejus par- „ tem, aut Officium vel Divinum, „ vel Parvum Dominæ, vel de Mor- „ tuis, aut ſeptem Pſalmos Pœni- „ tentiales, vel Graduales, aut do- „ cere Doctrinam Chriſtianam, vel „ inviſere Carceratos, vel Infirmos „ alicujus hoſpitalis, vel ſubvenire „ Pauperibus, vel Miſſam audire, „ vel quando Sacerdos eſt, illam „ legere; ſi vere pœnitens, & con- „ feſſus apud Confeſſarium appro-

„ batum ab Ordinario communica-
„ verit in quolibet infra scriptorum
„ dierum, scilicet Natalis Domini,
„ Epiphaniæ, & Ascensionis, Pen-
„ tecostes, in Festis Sanctissimæ Tri-
„ nitatis, & Corporis Domini, in
„ Festis Purificationis, Annuncia-
„ tionis, Assumptionis, & Nativi-
„ tatis Beatissimæ Virginis; in Na-
„ tivitate S. Joannis Baptistæ, in
„ Festis S.S. Apostolorum Petri, &
„ Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis,
„ Thomæ, Philippi, & Jacobi,
„ Bartholomæi, Matthæi, Simo-
„ nis, & Judæ, Mathiæ, & Om-
„ nium Sanctorum, & devote ora-
„ verint Deum pro exstirpatione Hæ-
„ reſum, & Schismatum, pro augmen-
„ to Fidei Catholicæ, pro pace, &
„ concordia Principum Christiano-
„ rum, & pro aliis necessitatibus
„ Sanctæ Ecclesiæ, in ipso die ac-
„ quirit remissionem omnium suo-
„ rum peccatorum, & Indulgentiam
„ Plenariam. „ II.

„ II. Qui faciet illas ipſas res in
„ aliis Feſtis Domini, aut Beatiſſi-
„ mæ Virginis in unoquoque dicto-
„ rum dierum conſequetur ſeptem
„ annos, & totidem quadragenas de
„ Indulgentia, & faciendo eaſdem
„ in unaquaque Dominica, aut in
„ alio Feſto anni, lucrabitur quin-
„ que annos, & totidem quadrage-
„ nas, faciendo in alio die anni,
„ acquirit centum dies de Indul-
„ gentia.

„ III. Quicumque in articulo
„ mortis devote recommendabit Deo
„ animam ſuam, invocando Nomen
„ Jeſu ore, aut, ſi non poteſt, cor-
„ de, vere pœnitens, confeſſus, &
„ communicatus, aut, ſi non po-
„ teſt, ad minus contritus, conſe-
„ quetur remiſſionem omnium ſuo-
„ rum peccatorum, & Indulgen-
„ tiam Plenariam.

„ IV. Qui faciet aliquam Oratione
„ tionem præparatoriam ante cele-
„ brationem Missæ, aut Communio-
„ nem, aut ante recitationem Offi-
„ cii Divini, vel Beatæ Virginis
„ consequetur semper quinquaginta
„ dies de Indulgentia.

„ V. Qui visitabit Carceratos,
„ aut Infirmos in hospitali adjuvan-
„ do eos aliquo opere pio, aut in
„ Ecclesia docebit doctrinam Chri-
„ stianam, vel domi tradet eam pro-
„ priis Filiis, Parentibus, Servis,
„ semper lucratur ducentos dies de
„ Indulgentia.

„ VI. Qui consueverit semel ad
„ minus in septimana dicere Coro-
„ nam, aut Rosarium, aut Offi-
„ cium nostræ Dominæ, aut de
„ Mortuis, aut Vesperas, aut unum
„ Nocturnum ad minus cum Lau-
„ dibus, aut septem Psalmos Pœ-

„ ni-

„ nitentiales cum Litaniis, Preci-
„ bus, lucratur in illo die, quo di-
„ cet centum dies ultra Indulgen-
„ tias conceſſas à S. Pio V.

„ VII. Qui ad ſonum Campa-
„ næ alicujus Eccleſiæ mane, aut
„ ſero, aut medio die recitabit *An-*
„ *gelus Domini* &c. aut ſi id non ſciat,
„ *Unum Pater*, & *unum Ave Maria*
„ &c. aut pariter, dum ſonat ſignum
„ pro Mortuis dicet Pſalmum *De*
„ *profundis* &c. aut *Unum Pater*, &
„ *Ave Maria* &c. ſi non ſciat illum
„ Pſalmum, conſequetur centum
„ dies de Indulgentia.

„ VIII. Qui in die Veneris de-
„ vote meditabitur Paſſionem, &
„ Mortem Jeſu Chriſti Domini No-
„ ſtri, & dicet *Ter Pater noſter*, &
„ *Ave Maria*, in illo die lucratur
„ centum dies de Indulgentia.

„ IX.

„ IX. Qui vere pœnitens de ſuis „ peccatis cum firmo propoſito ſe „ emendandi, faciet examen con- „ ſcientiæ, & recitabit *Ter Pater no-* „ *ſter*, *& Ave Maria*, aut in hono- „ norem Sanctiſſimæ Trinitatis ſimi- „ liter dicet *Ter Pater noſter*, *& Ave* „ *Maria*, aut in memoriam quinque „ Vulnerum Jeſu Chriſti *Quinque* „ *Pater noſter*, *& Ave Maria*, lu- „ cratur centum dies de Indul- „ gentia.

„ X. Qui orabit devote pro Fi- „ delibus Agonizantibus, vel dicet „ *Unum Pater noſter* ad minus, & „ *Ave Maria* pro ipſis, conſequetur „ illo die quinquaginta dies de In- „ dulgentia.

„ Omnes ſupradictas Indulgen- „ tias poteſt quis lucrari pro ſe „ in ſupra dictis diebus, aut eas

„ ap-

„ applicare per modum ſuffragii ani-
„ mabus Purgatorii.

J. F. ALBANI SECR.

Hoc Decretum Romæ, & alibi fuit impreſſum idiomate italico.

QUÆSTIO XXI.

An Superiores Ordinum Regularium concedere poſſint ſuis Benefactoribus Litteras, quas vocant FILIANTIAS, & qua ratione hæ ipſis proſint?

℟. Poſſe Generales, & Provinciales Ordinum Regularium extra Religionem ſpecialibus ſuis Benefactoribus, ſive Sæcularibus, ſive Eccleſiaſticis concedere, & applicare omnia Bona Spiritualia, ſeu Suffragia ſui Ordinis, ſive omnium Religioſorum ſibi ſubditorum ex ſpeciali Privilegio ab URBANO V. conceſſo Generalibus, & Provincialibus Ordinis Minorum, prout habetur *in Monumentis Ordinis ſecundæ impreſſionis fol. 261.* Et in Compendio Privilegiorum *verb. Indulgentiæ*, quoad Sæculares n. 6. nempe: *Ut Generales, & Provinciales totius Ordinis Minorum poſſint communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, &*

Bo-

Bona spiritualia Benefactoribus Ordinis. Et id communiter fieri solet concedendo eis Litteras, quas vocant FILIANTIAS, seu Litteras FILIATIONIS, seu FRATERNITATIS.

Dicta communicatio omnium Bonorum Operum, seu Suffragiorum Ordinis per hujusmodi FILIANTIAS, seu Litteras FILIATIONIS, vel FRATERNITATIS à Regularibus Prælatis, specialibus suæ Religionis Benefactoribus concessas multipliciter ipsis prodest. I. Per modum cujusdam meriti *de congruo*, cum omnino congruum sit, quod ob multiplicia merita Religionis, in cujus FILIATIONEM, seu FRATERNITATEM dicti ejusdem speciales Benefactores sunt assumpti, Deus peculiari auxilio, & protectione foveat, defendat, atque custodiat; ratio enim amicitiæ postulat, ut Deus propter amicos suos specialia beneficia conferat etiam aliis, qui amicitia, & FRATERNITATE illis conjuncti sunt, propter decem enim justos, si ibi inventi fuissent, peperciſſet Deus Sodomæ, & Gomorræ, ac finitimis Civitatibus Gen. 18. II. Prodest illis per modum *impetrationis*, in quantum assiduæ Orationes, pia, ac religiosa Exercitia, Divinaque Officia, quæ diu, noctuque in Reli-

ligione peraguntur, possunt de congruo mereri, & impetrare, ut Deus Confœderatis illis specialia gratiæ auxilia conferat, quibus à peccatis præserventur, & si in ipsis sint, ab iis avocentur, atque ab omnibus animæ, & corporis periculis liberentur. III. Prodest ipsis per modum *satisfactionis;* quia in Religiosis Ordinibus ultra plurimas Missas, multiplicesque preces, & continua Divina Officia, peraguntur propemodum infinita opera pœnalia, atque satisfactoria, ut jejuniorum, vigiliarum, abstinentiarum, pœnitentiarum, disciplinarum, mortificationum, peregrinationum, prædicationum, lectionum, meditationum, observantiarum, laborum, devotionum, & hujusmodi, quæ applicantur pro Fratribus Benefactoribus, ipsisque Confœderatis tam vivis, quam defunctis. IV. Prodest illis; quia Regulares in casu mortis alicujus sui specialis Benefactoris habentis dictam FILIANTIAM, seu suffragia Ordinis possunt unica Missa per modum suffragii ipsius animam liberare à pœnis Purgatorii ex concessione CLEMENTIS VIII. facta Minimis, & consequenter omnibus aliis communicantibus cum eis, quæ habetur Tom. 2. Privilegiorum ejusdem Ordinis Constit. 10. dicti CLEMENTIS VIII.

Et

Et referunt Peyrinus ad memoratam Constitutionem n. 2. Bassæus verb. *Suffragium* n. 2.

Hæc cedant ad majorem Dei Gloriam, Beatissimæ Virginis sine labe originali conceptæ honorem, & Seraphici Patris Sancti Francisci venerationem.

